No. 304/1

242

Prot. Trasp.

Prot. Sezione
625

Cassa N.

nº 342

CLODIADOS

LIBRI XII.

CHRISTIANISSIMO

LUDOVICO MAGNO

GALLIÆ, NAVARRÆ, &c.

REGI INVICTISSIMO

SACRI

MARCI PETRONII CO: CALDANÆ.

VENETIIS, M. DC. LXXXVII.
Ex Hieronymo Albricio in Vico D. Iuliani.

CHRISTIANISSIMO
AC
REGUM MAXIMO
TRIUMPHOS.

SOlutis jamdemùm votis, Regali provolvor Solio, quodque mente fovi vel ab incunabulis assequor, infelix penitus, nisi prius expresso TANTAE MAIESTATI devotionis argumento, moriturus. Satis, superque dignum reor malorum, quæ in me Sors effusa manu congessit, pretium, insolito ante obitum beari spectaculo, quod tam rarò, tamq;

¶¶ paucis

paucis ſæculis in ſumma Fortuna ſumma Virtus exhibuit. Crudeles moræ, quando Dexteram, quæ Terrarum Orbi terrorem incuſſit tamdiù exoſculari diſtuliſtis! Gentilitio ſiquidem jure innumeris, MAGNE MONARCHA, Populis imperas, ſed plures Excelſi Genii Clementia voluntaria ſervitute devincit. Ex his quaſi fidus Teſtis ſublimem Thronum veneror, non invitus pœnam ſubiturus audaciæ; Nimis inſignis, vel ſi regalis iræ fulmine proturbatus. At laureo redimitus ſerto, quod ex immensa Triumphorum tuorum Sylva decerpſi, quid pertimeſcam? Nec quiſquam de ſtudiis æſtivi otij tempora digniùs fallere conati demiſſe ſentiat, quod in Epode, Tanto nimirum Regi ſacrando, Genio ceu Muſis dedito nimis, indulſerim. Nàm ſi jubes, dimitto calamum, enſemque, nondum iras in Parnaſſi pace dedoctum, arripio. In hoc priſci Cæsaris æmulus, quòd in utroque Franco Cæſari ſervire paratus. Eſt hic, eſt animus non degener, nec Avis notam, quin potius (ſi qua via inter adversæ Sortis prælia pateat) & Poſteris decus allaturus. Libens & moriar, id meriti devoto cruore mercatus; ut ignoſcas Vati nunquam auſuro, importuno ſcilicet obvia quæque dicantis ſæculi more, Opus nonum vel preſſum in annum Primario Orbis Principi offerre, niſi per ipsum TE MAIESTATI TVAE offerre ſtuduiſſet. Nam præterea Herois inter primos Chriſtianiſſimi monumenta cuinam niſi inter Chriſtianiſſimos primo Heroi ſacrari debuerunt? Adde quod & ſuperos fontes, ore licèt profano, delibanti, niſi ultra mortalium fines evaſiſſem, MAIESTAS

TVA

TVA, utpotè Immortalitati proxima præ cunctis fuerat eligenda. Porrò Virgilium hoc uno me nomine profiteor feliciter imitatum, quod Carmini meo finem impensius, quàm ille sibi Augustum, Augustissimum LVDOVICI Nomen præfixi, sub CLODII *imagine tuas Virtutes, utcumque per vires licuit, molitus exprimere. Non omnes quidem res gestas assecuturus, quibus imparem ille Æneidem, Græcus Iliadem fateatur, sed quas remotis dumtaxat Regionibus immensæ Fama Virtutis aureo classico transmisit. Hoc freta est argumento temeritas, tutetur Opus, Authoremque materia. Sit igitur speciosa Frons toti Carminis Corpori decus, & per se laudem non meritum, per illam laurum mereatur. Fortunatum Carmen, si Regnorum domitrices manus attigerit! Felicissimum Vatem, si semel Tanto Regi placuisse didicerit! Vale per sæcula, Regum exemplar, & (ut soles) vince.*

MAIESTATIS TVAE
CHRISTIANISSIMAE

Venetijs Kalendis Iulij 1687.

Hum.mus Dev.mus Obseqû.mus Servus
Marcus Petronius Co: Caldanæ.

AD SERENISSIMUM GALLIÆ DELPHINVM

EPIGRAMMA.

O Qui Magnanimo ſortitus luminis auras
PATRE, cui Tellus non dedit ulla parem.
Quique Gygantæis Herois greſſibus inſtans
Terrorem Regnis, invidiamque paris.
Perlege adumbratas GENITORIS Carmine laudes;
Devotam facili ſuſcipe fronte chelyn.
Proh fœlix, cui non exempla aliunde petenda,
Sed vivum exemplar, Lux, Speculumq; PATER!
Te quoque ſi tribuant minus aſpera fata quietem,
Quamprimùm plectro liberiore canam.
Ne mirere Italis me non ſermonibus uſum,
Vel Gallis folium non animare notis.
Namque Orbem frænare orti præconia Regis
Nota Orbi cuncto Lingua Latina decet.

IN-

INDEX

Aliquot Notabiliorum, quę Carmine continentur.

CHRISTIANISSIMI REGIS Invocatio pag. 2
Palatij Regis Ruralis non procul à Sveſſionum Vrbe Deſcriptio 14
Franci Reges ante Clodoveum 15
Adoleſcentia Herois pubeſcentis LVDOVICI MAGNI indoli comparata 24
Gallica indolis Deſcriptio 88
D. Clodovei Res geſtæ, cui Gallia Catholicam Fidem debet 155
Ex quatuor Galliæ Partibus, quæ tum Clodoveo parebant, Celtica ſcilicet, Belgica, Aquitanica, & Narbonenſi juxta Cluverium, Provinciarum, & Vrbium præcipuarum mentio 192. & ſeq.
Francorum Amor, et Fides erga Reges 201
Reges à Clodoveo uſque ad Chriſtianiſſ. Ludovicum Magnum 220. & ſeq.
Eiuſdem Chriſtianiſſimi nonnulla Res geſta 228
De Regina Chriſtianiſſima mentio 231
De Sereniſſimo Delphino 232
De Sereniſſima Delphini Coniuge ibidem
De Sereniſſimo Infante Duce Burgundiæ ibid.
De Sereniſſimo Aureliani Duce ibid.
De Principe Sereniſſimo de Condè ibid.
De Eminentiſſimo Cardinali Bulionio ibid.
Vatis ad Delphinum Sereniſſimum converſio 233
De Principe Sereniſſimo de Contì 234
De Duce Turrenæ defuncto ibid.
Clodij in expeditionibus celeritas Ludovici Magni felicitati comparata 283
Pronæa Oraculum de præſenti Chriſtianiſſimi Gloria 294
Vatis ad ipſum Chriſtianiſſimum Converſio 304
Hæreſis Chriſtianiſſimi Virtute compreſſa, & extincta. ibid.

CLO-

CLODIADOS LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

PRopositione exposita, Christianissimus Rex inuocatur. Vmbra Sygismundi Burgundiæ Tyranni regales Childeberti filios nempè Clodium, Gottardum, & Tebaldum perdere conatur. Themis hominum sceleribus lacessita, Pronæa pedibus aduoluitur, Orbisque excidium, & Galliæ præsertim imprecatur. huic opponitur Pax, & Clodoueus, Childeberti Parisiorum, Clodomiri Aureliæ, & Clotharij Suessioni Regum Genitor, Cælo iam redditus, quibus auditis, Pronæa bello plectere Galliam destinat, cuius prænuncium fulmen in Arcem Suessioni librat. Clodomirus, & Clotharius ruri commorantes terrore corripiuntur. Pictura expressi Præcessores Cladouei referuntur, cum in IX. libro de successoribus sit habenda mentio. Superuenit Sygismundus, & sumpta Chramnis imagine primum inter Regis gratiosos locum obtinentis ad scelera Fratres hortatur, & prius vt petant à Clothilda Clodouei Coniuge tres Childeberti filios, & carcere custodiant. Peragit hoc per Nuncium Clotharius. Incendit interea Populos Sigismundus, & ab inferis recipitur. Poscit Nuntius Principes Iuuenes Reginam, quæ ægre licet, assentitur. Hinc ad quietem digressa laruis terretur.

PRAELIA Sequanicas canimus grassata per oras,
Legitimumque Ducem, Terris, Pelagoque fugatum;
Tartareas, superasque iras, Galloque gementi
Post fratrum exequias, debellatosque Tyrannos
Tandem per reducem Pacis data munera Regem.
Hinc Amor æthereo percurrere nubila cantu,
Maioremque videre diem, Terrasque iacentes.

Hinc iubar illapſum cordi, totaque receptus
Mente Deus, Soboliſque patens regalis origo.
Quo ruis, Icarias per aperta pericula tentas
Calliope male cauta vias? cui denique reſtant
Ignoto rurſus cognomina danda Profundo?
Ah nimis impendet capiti fremebundus Orion,
Horreo toruæ Helicis faciem. Quis adhæret amico
Dux lateri, quales manet alta ruina lacertos?
Iamque & inacceſſæ, Inſubrum loca inhoſpita, rupes,
Alpinæque niues Cœlo timuere volantes.
Tranſigimus fauſtas Zephyris famulantibus auras;
Lugdunenſe ſolum fugimus, Ligerique relicto;
Regnorum Dominæ felices reddimur Vrbi,
Surgit vbi FRANCI ſolium ſublime TONANTIS.
HEROS, BELLIPOTENS HEROS, quem ſuſpicit Orbis,
Principibus columen iuſtis, diriſque flagellum:
Cui famulaturas dudum parat Indus arenas,
Ardet & Imperium deferre, iugumque Pyrous,
Qua primæua vehit Nabatææ fulgura Genti,
Quaque ſub Heſperijs feſſum iubar explicat vndis.
Si tua magnanimos non vltima Gloria Reges
Tutari, FLORISque PII ſeruare ſub vmbra,
Si licuit populos nuper domuiſſe ſuperbos,
Et coniuratos Terræ in tua damna furores,
Si potes imperio de cardine vellere Mundum,
(Namque potes) vulſumque iterum cõponere ſceptro,
Excipe ab ignoto gentilia carmina Vate.
Nec procul illa dies, Zephyris cum plena ſecundis
Vela

Vela dabo,& laudum relegam maria ampla tuarum.
Tum quoque feſtiuis plaudet mihi Sequana ripis,
Meque ſuum Liger,& Rhodanus Dominator amabit.
Tum preſſum Brabanta canam,iuſſumque ſubire
Fræna reluctantem,Burgundum vincla ferentem,
Claſſibus edomitum Batauum,quodq; vſquè ſub alto
Corde foues,Scythico repetenda ſepulchra Tyranno,
E quibus ætherias digreſsum Numen ad Arces.
Hæc mihi Carmen erunt. Tum cedite nobile Vatum,
Cedite Vulgus Io, decus eſt veniſse ſecundis,
Nomen vbi regale ſonat,Geticoque tremendum
Prædoni,& reliquis LVDOVICI adamabile Terris.
Nondum funereos lacrymis abſumpſerat ignes
Aſtriferas exoſa plagas,viduataque Magno
Gallia Clodoueo. Cum funere fata ſecundo
Luctibus inuenere modum primis. Perit omnis
Pax,Childeberto crudeli clade ſubacto.
Hæret adhuc animis nullo placabilis æuo
Ira ferox, haſtamque trucem furibunda tuetur,
Cui præfixa ſtetit Regni ſpes vna labantis.
Luget adhuc polluta Fides,abrupta queruntur
Iura Poli,fuſumque gemunt Delubra cruorem;
Ferrum iura facit, diri confinia Regni
Haſta nefanda legit, partitur & enſis honores.
Denique res Gallas diro bacchata tumultu
In medium Fortuna tulit per bella parandas.
Reſtat adhuc,longoq; ciet pia Sydera fletu
In viduis Clothilda toris, felicior omni,
Si fœcũda minus. Grato incubat ægra dolori,

Clodoueique ſacras lacrymabilis inuocat vmbras.
Excipit illa tamen duri ſolatia Fati
Extincta de Prole Genus, dulceſque Nepotes
Ceu Natos amplexa fouet, magnum indole Germen,
Sed dignum meliore Polo, non dira nouare
Monſtra, Thyeſtææ ſpectacula barbara cœnæ.
Vſque adeo Dominantis adeſt vindicta cruoris,
Et luitur gentile nefas, tam ſæua repoſcunt
Fata Sygiſmundum non vna morte peremptum.
Hunc Childebertus Burgundica caſtra mouentem,
Et rediuiua plagæ minitantem bella Sicambræ,
Fractum iterum vinclis, ceu belli inſigne trophæum,
Compreſſit. Paribus Gnati, Coniuxque catenis
Damnantur. Nimium ò felix, dum cogit in vnum
Victor multiplices numeroſo in Rege triumphos.
Tanti ſumma boni, lex iſta miſerrima rerum,
Excidio fuerat citius penſanda propinquo.
Vix tulit à domitis victricia lilia Campis,
Ecce catenati Frater fremere arma Tyranni
Dicitur, excuſſumque iugis poſuiſſe pauorem.
Nam ſimul ac ſolito ſpoliatos Præſide muros
Deſeruit, patriamque redit ſecurus in vrbem
Victor, ab excelſis Polymas ruit ecce latebris,
Collectaſque trahens inopino Marte cateruas
Horrida bella mouet, fluuios imitatus euntes
Dum deſedit hyems, Hyadumq; effunditur Vrna,
Vel dum Vere nouo niuibus contabuit Hæmus,
Attonitumue rapax Rhodani ferit vnda Profundum.
Demens qui magnum ciet in noua prælia Regem,

Præ-

Prælia, quæ iugulo primus luet effera Frater.
AEſtuat ille ferox, furias quo conferat, anceps,
Impatiens tolerare moras. Gangetica frendens
Sic per luſtra Tygris dubiæ famis excitat iras,
Dum videt erantes reſupina in valle Iuuencos.
Verſat in ancipiti cui primos deſtinet ictus,
Nec cædis ſatis ordo placet, quemcumque ferire
Ante cupit, ſpatioque dato breuis inuidet horæ.
Hoſtia prima ruit iam certo præda furori
Prima Sygiſmundus, Terramque exoſus iniquam,
En ait, ò noſtri ſatiate Tiranne ruinis,
Lætus eo, Regnique mei viuacibus armis
Impero, ne tantum Terris patiantur inultum
Condigna mercede nefas. Vlciſcere Fratrem,
Sic par Burgundi ſurges Diadematis hæres.
At proprio cernens tepefactum ſanguine ferrum
In Natos ruere, Vxoriſque in pectore condi,
Hæc tibi crudelis, Superi, Generique reponant,
Exemplo monſtrante ſcelus. Sic fatus, & auræ
Indignantem Animam Barathro demiſit habendam.
Res eſt ſacra Miſer, precibuſque expugnat Olympum
Barbarus ipſe licet. Iugulati ad funera Regis
Vltor adeſt Polymas, renouataque prælia tentat.
Claſſica triſte fremunt, Syluarumq; aſpera crudo
Exterrent clangore tubæ, ſonat acta tumultu
Horrifico Vallis, fremituq; antra ampla reſultant.
Pugnatur, titubatque diu cui dona fauoris
Inclinet Fortuna ſui, pelagoq; cruoris
Gaudet vtrumque prius ſcelerum ſibi pendere pœnas.

Per-

Perfurit in medijs cœsi Ducis Vmbra maniplis,
Humanis spectanda oculis, collumque recisum,
Pectoraque ostentat, Natosquè, torique iugalis
Consossam Comitem, furijs immanibus implet
Germanum, atque acies vlturas crimine crimen.
Iustius ergo scelus palmam meruisse videtur,
Vincere quod licuit, Childebertique perempti,
Horrendum erigitur, secta ceruice, trophæum:
Proh pudor Astrorum! lacerum suffigitur hastæ
Francorum regale caput, cui maxima nuper
Pars rerum attremuit, meruisti hoc nomine primum
Sumere seruitij citius Burgundia pondus.

Ergo licèt sontes dudum damnatus ad vmbras,
Et superi nil iuris habens, tamen vsque volutat
Funus atrox animis, & menti vulnus inhæret.
Tantorum cumulo sed non satur ille malorum,
In Prolem noua bella parat, noua funera tentat
Sequanicis lugenda plagis. Mox actus in æstus
Excitat igne gradum insolito, quo sæua sororum
Agmina, Tartarei trepidarunt cardine postes,
Et Phlegetontæum mouit grauis ira Tyrannum:
Iste truci solio per inania Regna dolores
Exercet, pœnasque ferox se spargit in omnes;
Horret inaspectum mortali lumine sceptrum,
Fuligo laq[illegible]eare notat, viridisque smaragdi
Torrida frusta locum, nitidi tenuere Pyropi,
Chrysolitique vices. Latè fugit obuia turba;
Quaque agitur furijs spectabilis Vmbra, recedit.
Nondum constiterat, rabida cum voce resultant

Atria,

Atria, Da magni, dignum precor, Arbiter Orci,
Præmia, quæ meritis licuit ſperare nefaſtis.
Manibus aggeſtis ſi nunc anguſtior Orcus,
Si tua ad innumeros non ſufficit ira nocentes,
Munus idem noſtrum eſt, nos Gallica mouimus arma,
Burgundaſque ſimul furibunda in prœlia Gentes:
Quot nobis, Rhodanuſque Viros, inimicaque duxti
Funera Lethæis quot Sequana dire fluentis?
Hactenus infandis tantùm præluſimus auſis.
Haud ſceleri poſt iſta modus. Iuuat addere crimen
Criminibus, longoque diem confundere luctu.
Supplicijs minor eſt Genitor, cadat improba Proles,
Humano nec more cadat, Patruique cruenti
Victima ſit furijs, iam non incognita diro
Crimina Clothario, truculentæ congrua dextræ.
Hæc ait, & triplices compeſcens gutture voces
Ianitor infernis deſueta ſilentia Regnis
Imperat, & dominam expectant muta atria vocem.
Tum Dis, Iuſta petis, meruiſti denique Cœlo
Non prohibente, tui conſumere vota furoris.
Ius datur in Francos, ſic æthere Numen ab alto
Annuit, & noſtris ſinit impenetrabile telis
Exercere caput, ſæuaſque repoſcere pœnas.
Talia Clothildæ Virtus inimica meretur.
Quare age vince Notos curſu, quaque impia ſurgunt
Mœnia, cognatis turbata furoribus, intra.
Tyſiphone colubris, ne ſydera multa ſoporent,
Adijciat virus, rabiemque fidelis acerbet.
Nec plura, & vigilis fremuerunt ora Moloſſi.

Ergo

Ergo Ceraſtarum, viruſque infudit Echidnæ,
Et dedit ingenium factis immanibus aptum
Dira miniſtra Erebi, triplices à fronte Sorores
Auertunt facies, tam luridus ore minatur.
Spectandum attonitis talem ſe præbuit Aſtris
Inceſtans horrore Polos. Senſere minantis
Sibila Tyſiphonis volucres, lapſuq; citato
Communem ſubiere obitum, corrupta veneno
Temperies imo, & Cæli ſpirabilis aer.
Triſtior ignoti depulſa nocte diei
Lux redit, & mœſtum ſquallenti exurgit Eoo
Nube iubar, ſignumque gerens ferale comanti
Lumine, ſubuerſos Plebis, Procerumque Penates
Inuiſit pallens. Moritur ſeges obruta Campis,
Et victum Dodona negat, lacrymæque leuamen
In medijs periere malis. Maturat ouantem
Ille gradum, laudatque ſui argumenta furoris:
Nec minus interea feruent, dum exæſtuat imo
Fuſa Acheronte Palus, animis Cæleſtibus iræ.
Viderat infandæ noua creſcere germina culpæ
Alma Themis, nec paſſa luem mage ſerpere Terris,
Quid moror, inquit, adhuc, dabit hæc mea dextera finem.
Læua gerit lances, quibus omnes dirigit Orbis
Æterna ratione plagas; radiata coruſcis
Caſſis ahena iubis radios iaculatur, & ignes.
Dextra mouet vindex ferrum. Contexta rigenti
Cõcrepat ære chlamys, circum hãc per vtraſq; recurrens
Limborum partes ſinuoſo vortice rugas
Circumit, & flaua ſerpit Mæander in vnda.

Ser-

Serta ornant galeam, galeæque in vertice ſummo
Sacra Columba ſedet candore notabilis ipſo.
Eſt locus AEthereis medius regionibus, alta
Maieſtate grauis ſummi prope Numinis ædes,
Vnde Polos, Terramq; videt, Barathrumq; profundum.
(Veſtibulum ante ipſum fuſo ſtant ære columnæ)
Exurgunt Elephante fores, ebanoque nigranti:
Verſicoloratis ſternuntur picta lapillis
Tecta, peregrinis collucent omnia gemmis.
Auro tecta nitent, Tyrioque ſuperbit in oſtro
Regia, odoratis quam texta ſedilia Cedris
Exornant, & multus Onyx, & multus Achates,
His adytis Themis infertur, penetratq; receſſus,
Maxima queis reſidens moderatrix iura Pronæa
Diſpenſat, Solique potens dominatur, & Aſtris.
Hic varias referunt penetralia picta figuras,
Purpureumq; oculis pelagum, ſacraque potentem
Obijciunt virga Moſem, qua cœrula quondam
Diffidit, & Pharijs ſubduxit terga maniplis.
Obſequitur, ſurgitq; libens, nutuſq; verendos
Geſtit obire fretum. Mox cominus aggere hianti
Excipitur Ieſſæa manus, poſitoque pauore
(Dum placidum cernit, quem dirum exhorruit hoſtem)
Ceu Domini Tritones eant, veſtigia ſignat
Inſolitis ſtupefacta vijs. Furis eminus armis
Ipſe Paretonij Dominator perfide Nili,
Ignotoque iubes procedere calle Phalangas.
Iamque ſubit virgæ nutus variabilis Iſthmos,
Obruiturque ſequente freto, curruque Tyrannum

Turbatum, nam virga iubet, confundit aceruis
Militum, & audaces inuoluit vortice turmas.
Corruit in præceps Pharaon, animamq; nefandam
Vltrices rapuere vndæ; Quàm pallida terrent
Ora, caput torquet quàm læua ſuperbia Nerei!
Flebilis apparet morientum forma, per vndam
Semianimes, Peditesque gemunt, Equitesq; natantes.
Hunc rabidus turbo rapit, hunc vorat ater aquarum
Aeſtus, Equos, currus, clypeos, vexilla, Cateruas.
Parte alia dilapſus aquis exercitus amplos
Ingreditur Ieſſæus agros. En gaudia pictos
Lœta tenent vultus, iam iam deſcendit Olympo
Manna, dapum cunctos referens in caſtra ſapores.
Per laqueare (ferox viſu) furibundus inundat
Oceanus, primæque ſimillima ſtragis imago,
Qua ſontis Regina Soli deleuit auitum
Aequa Pronæa ſcelus, cum fluctibus omnia merſit.
Sic Themidi placitum. Hic denſo minitantur in Axem
Agmine iurati fluctus, hic tunditur Oſſa,
Pelius inde caput condit. Latet æquoris hauſtu
Preſſa humus, alitibus trepidat pes, ala quietem
Quærit anhela, negat pelagus, tandemq; volatu
Deficiente alas, liquida tumulantur in vrna.
Fluctuat vnda auro, ſiue aurum fluctuat vndis.
In medio ſedet Arca Noe venerata procellis,
Atque immota licet, iucundo errore peragrat
Inſtabiles campos, tanti ſecura periclí.
Hæc Themis inſpiciens aderat, ſua geſta, ſuaſq;
Retro legens iras, Vtinam primæua liceret,

Triſte

Triſte gemens inquit, renouare exempla dolorum,
Atque iterum infandis Neptunum immittere Terris,
Hæc animo voluens ſolijs accedit eburneis
Illa magis, queis ſumma ſedet Regina, grauiſque
Fulgurat, æternæ rutilo diademate lucis,
Vix in conſpectu, iuſto iactata furore
Accidit excelſis pedibus, veniamque precata
Protulit indomitos irata ita voce dolores.
Ergone dementis Populi ſcelus ibit inultum,
Ibit adhuc commune ſcelus? vix vna ſuperſtes,
Vexillis Clothilda meis. Quid profuit olim
Induxiſſe Fidem populis, ſuperumque dediſſe
Lumina, cumque ipſo commercia proxima Cœlo?
Poſſidet arma furor, Pacem furor improbus ipſam
Iam regit, Impietas, Odium, Rabieſque miniſtrant;
Nulla Fides rerum Dominis, Mundique Tyrannis.
Par agit ambitio fraterna in viſcera ferrum,
Mente ſedet proprijs mortalia ducere votis;
En tibi Clotharij, Clodomirique ſuperbas,
(Nam te nulla latent) promptaſque ad crimina mentes.
Mille tenent ſcelerum Comites, & dira Poteſtas
Excitat innumeras ad iuſſa nocentia dextras:
O' vbi Clodouei felicia tempora noſtri?
Quò Superum primæuus honos? Tu dele pudorem:
Tu, quæ cuncta tuo moderaris condita nutu,
Aſtriferis metuenda Polis, æquæua Tonantis,
Indiuiſa Comes, ſpes Orbis, & ætheris vna.
Contere fulmineis, ſceleratam contere Gentem
Viribus, atque Animas ſub Tartara mitte rebelles,

Si nihil ingrato Clementia profuit Orbi.
Iam dextra Regina tona, iam prome sagittas,
Vltricesque para flammas, nec certa vibrentur
Tela manu, quemcumq; petes iustissima plectes.
Prima sed ardentes crudelis Gallia vires
Sentiat, & Dominum supplex fateatur Olympum,
Per me quisque cadet. Mandata facessere præsens,
Adsum, siue reos vltoribus ignibus ictos
Inuoluam, modo tù iubeas, seu sontia Ponto
Corpora, damnatoque tegam tot funera fluctu.
Vtraque pœna decet. Reginam perfidus Orbis
Credet, vbi irato suspexerit ore Tonantem.
At Pax attonita susceperat aure sulurros,
Aurea Pax, cui dulce latus candore niuali
Serica vestis obit, cerealia munera oliuæ
Mixta caput redimunt, nec pulchrior vlla per Axis
Virgineos cœtus rutilantia protulit ora.
Purpureis ea forma genis. Famulatur eunti
Deposita feritate Leo, iunctoque Leoni
Impauidum tenet Agna latus, sociasq; catenas.
Ergo statim lacrymis genua alta fatigat obortis
Procumbens, funditq; pias de pectore voces.
Regnet Amor, Pietasq; precor. Facit ira Tyrannum,
Regem firmat Amor. Meliori lumine Terras
Respice magna Parens, Themidis nihil annue votis,
Ah satis est mulctasse semel. Sub signa redibit,
Tu modo ne renuas perituræ funera Gentis
Arcere, & iustum Terris auertere fulmen.
AErumnis edocta suis sibi Gallia tandem

Con-

Conſulet,& Diuum votis venerabitur Aras,
Virtutiq;iterum cordis ſacrabit Amores.
Parce per hanc dextram,qua tela ſonantia libras,
Per ſiquid Pietatis adhuc mihi denique ſeruas,
Parce,oro veniam. Reginam ſubditus Orbis
Creder, vbi placido te ſenſerit ore Tonantem.
Dumque ait,in roſeos it plurima lacryma vultus,
Et Dominæ ingentes irarum temperat æſtus.
Nec minus exorat iam felix incola Cœli
Clodoueus, Pacemque ſuis rogat anxius oris:
Tum nutu ſolata arriſit vtrique Pronæa,
Annuit & ſceptro Diuas aſſurgere,læto
Blanda ſupercilio,quo percita Regia latè
Exultat, ſuperumq; chori, riſere ſerena
Cuncta Dea, fulſere Poli, ventique minaces
Compoſuere iras, placidis admurmurat vndis
Nereus, & tumidos ſuſpendunt flumina curſus.
Digna quidem petitis, nec eat ſcelus, inquit, inultum,
Sic Themis alma cupit, quid enim tibi Virgo negatur?
Sed Terras miſcere Mari, Cœlumque ciere
In furias, primumque Chaos inducere Mundo
Tempus abeſt, faciles in publica vota venimus.
En mora ſupplicijs, ſontem quæ debita Terram
Expectant, tibi Virgo datur, Paci omnia cedant,
Hoc tibi ſit noſtri memorabile pignus Amoris.
At Gallos ſua pœna manet, ſtat mente repoſtum,
Nec precibus tentanda vllis,confundere bello
Francigenas, Regeſque feros, populoſque nocentes
Criminibus punire ſuis. Ab origine mundi

Stat

Stat nulli mutanda dies, præfixa flagello,
Omnia pertulimus, sed frangere sanguinis ausos
Iura verenda Viros iam non impune feremus,
Sic ait,& manibus,quibus attremit Orcus, & Aether,
Concutiturq; fretum, Telluſq; à ſede mouetur,
Impulit horribiles per tela micantia flammas,
Surgunt Sueſſioni qua claræ Principis Arces.
Non procul excelſis Auguſtæ mœnibus Vrbis
Finitima immanis feriebat ſydera moles,
Hanc pius in dulces ſibi quondam erexerat vſus
Clodoueus,magnis ſatis æqua leuamina curis.
Culmina prætereunt, licet ima è valle reſurgant,
Vrbem ipſam,poſitoſque docent decreſcere montes.
Quid memorem, pretiumue rei, pretiumue laboris,
Laſſataſue manus operi tanto? Ardua carmen
Pergama Mæonium referat Neptunia, Thebæ
Auritos lapides, celebreſque Amphionis Arces;
Pyramidumq; ſibi iactet miracula Memphis,
Barbara ſed Memphis, Thebæq;& Pergama adorent
Vaſtum molis opus,nulliq;imitabile ſæclo;
Iſtmiaco ſtant ære fores, ſtant ære columnæ,
Rictibus horrificis, debellatiſq; Ferarum
Exuuijs, pedibuſq;graues,roſtriſq;Volucrum,
Oſtia panduntur Pario ſuſpenſa ſub Arcu,
Regalemq;ſitu Dominum ambitioſa fatentur;
Saxeus hinnit Equus,poſcuntq;aduerſa Leones
Corpora Taurorum,ſtat in ipſo marmore Terror,
Ardenteſq; oculi,toruæq;licentia frontis,
Atria vaſta patent,vbi plurima duplicat Echo

Inge-

Ingeniosa sonos, responsaq, iussa remittit!
Innumero decorata micant laquearia flore,
Flore sed aurato, veneranda insignia Regni.
Interiora Domus viridi confusa smaragdo,
Multo Adamante rigent, pictisq; Asarota figuris,
Et vario illusi fulgent Emblemate muri.
Cernere erat duris Capitolia prendere dextris,
Et Romana alacres conscendere culmina Gallos:
Nec labor infesti fastidia noscere cantus.
Non procul Anser hiat, rauciſque propinqua querelis
Arma canit, rapit arma nouo certamine miles
Arduus, obsessas vix opportunus ad Arces.
Ast in secessu suffultus membra curuli,
Stabat magnanimo nil territus ore Senatus.
Non turpi squalore grauis, nec luridus, altam
Canitiem, Imperij sed opima insignia gestans,
Quantùm Sidonio venerabilis ordo sub ostro!
Vsque adeo instanti nusquam succumbere letho
Maiestas moribunda potest! digniſsima Diuis
Componi series, nisi Gallica dextera diro
Crimine mortalem, fusoque cruore doceret.
Stat Marcomirus qua maiestate deceret
Francum stare Ducem, Phar. mundumq; sequentem
Dexter habet. Subit inde coma spectabilis aurea
Clodio, sed partis præclarior ipse triumphis.
Nec non Merroueus vasti confinia Regni
Belligera latè aucta manu, gentesqu. subactas
Ostentat. Dulci telas vexilla tumultu
Horrificant, & picta metum vel spicula vibrant.

Tu

Tu quoque diſpoſitis in prælia ſæua maniplis,
Childerice, truces profligas arduus hoſtes,
Et populos latè ſubigis. Sic ampla potentis
Imperij aggeſtis coaleſcunt iura trophæis.
Nec minus & proprios viuaci in imagine caſus
Iuſſerat exponi venientibus ordine ſæclis
Regnator, vexilla truci dum celſa Sicambro
Intulit, & magno ceſsit Victoria voto.
Stat pugna collata acis, & ahena renident
Igne coruſcanti, perfuſaque tela cruore.
Artificis vix crede manum, ſic vincitur Artis
Ingenio Natura potens, Procul æthere ab alto
Omine felici prænuncia fœderis Ales
Præfert æthereos redolentia balſama odores.
At parte ex alia ſubit aurea Lilia Buſo
Tergeminus, vertitque vices, vexillaq; toto
Aethere multiplici nuper minitantia moſtro
Innocuis recreant lætas candoribus auras.
Ipſe inter rutilas ſignis radiantibus haſtas
Succiduum Tellure genu, deuotaque Ductor
Pectora demittit; latè bacchata grauatur
Purpura, ab implicitis male prodita purpura gemmis.
Proximus Altari ſacro velamine Præſul
Fulgidus albentem ſuſtollit ad Aſtra lacertum,
Aethereaſque Ducis capiti ſuper explicat vndas.
Colludunt circum Aligeri, ſuperæque Cohortes
Confuſæ radijs, ingentique Iride lucis.
Sic veterum monumenta Patrum ſacrauerat ætas
Poſtera, ſic Proauis perſoluebantur honores.

Cæ-

Cœlo digna domus, cui Climatis ipſa benigni
Ars cumularat opes, Naturaque victa Sorore eſt.
Sed Mundi, dubiæque vices variabili æui
(Vſque adeo ſummis longùm vixiſſe negatur!)
Sedibus excidium fatale tulere ſuperbis.
Hunc Charites tenuere locum, nemus omne beatis
Mulcetur pennis Zephyri per aperta iocantis:
Hinc procul omnis hyems, nullis agitata procellis,
Imbre cadit nullo, nullo roſa vincitur Auſtro.
Nullus Hyperboreis Aquilo mouet arma pruinis,
Non coquit ardentis violentior ira Leonis
Germina, ferali nec Syrius inficit æſtu,
Sylua viret circum, & nunquam ſpoliata decore
Planities, fonteſque ſonant, & murmure plaudunt.
Neſcit lympha gelu, vitreoque è fonte perennis
Diſpoſitis excurrit aquis, Cœloque, Soloque
Multiplici fingit liquidos aſpergine ludos.
Poſthabita huc gemini migrarant Vrbe Tyranni,
Degeneres Domini, curis abſoluere mentem
Quas furor infelix, quas effera nutrit Erynnis.
Et licet à celſis ſeducti mænibus; ictum
Fulmineæ ſenſere facis, gemitumque dederunt.
Confeſtim ſæui ſtarerna in pectora motus
Bacchari, trepidos ſuperis velut ignibus ictos:
Par agit atronitos rabies, cauſamque furoris
Ignorant miſeri. Tum cœco excitus Auerno
Non procul exagitat furialem lampada Ductor.
Vix ſtetit hoſtilis funeſtus ad oſtia muri
Bella, luemque ferens, inſueta nube Penates

Demerſit notos· vultus mentitus, & ora
Mille modis fingens,Chramnemq; imitatus iniquum.
Non alium, quia regalis penetralia cordis
Ille tenet, verbiſque fidem,falſoq; Tonantis
Induitur cultu, Pietatis ſubdola Imago.
Fratribus ille Comes primæuo in flore Iuuentæ,
Quod Regina nimis pronum in mendacia pectus
Oderat, atque truces habitus, moreſque proteruos,
Peſtem inſpirabat Pueris, animoſque rebelles.
Cultibus inde ſacris nitidus, Regumque fauore
Cingebat diis informia tempora vittis.
Compoſitis in fraudem oculis, frontique remiſſa
Cæſarie, trepido ſimilis,ſimiliſque modeſto
Orditur ſolitos parili cum voce furores.
Parcite, Regales Fratres, ſi promere ſolus
Auſim vix pleno conſulta ferenda Senatu.
Hæc Amor in Dominos, etiam poſt fata ſuperſtes,
Hæc mea vera fides, quamvis contraria pugnent
Iurá Soli,Cœliq; ſimul, reticere negauit.
Inſidijs,patet inſidijs, geminoque minatur
Infelix Diadema Duci, patimurque volentes
Semper in exitium iurata pericula noſtrum.
Gallica barbaricis ſi dudum ſceptra placerent
Regibus, & populos in funera noſtra retortos
Explicitis latè per ſubdita mœnia ſignis
Inferrent, Dominos pateretur inulta ſuperbos
Gallia, nec Superos,auſit damnare nocentes.
Sed fraudes, materna manus quas tendit, id vnum
Proh facinus! querimur, cognataque bella veremur.

Nec

Nec ſatis hoc viſum eſt, toti quod ſcribere Regno
Iura Duces nondum petitis, ſurdoſque perempti
Heu Fratris cineres cultu veneramur inani?
Nec vacuus cauſæ tantus timor, illa repoſtum
Seruat inacceſſos intra conclaue Nepotes.
Quis raptus, quis furta ſtruit? num diſſitus arma
Parthus agit, Meduſue in pignora cara parat vim?
Nos penes omne odium, ſoli toto Orbe timemur
Infauſti Fratres, quoniam diſpendia ſortis
Extremæ faciles ferimus. Nec deprecor iras,
Si meus audaces nimium depromere voces
Auſus Amor, lanianda adſunt hæc pectora belluis,
Vulnera, tela, cruces repetita per oſcula poſco.
Omnia cara mihi, dum ne colla iſta pudendum
Seruitij patiantur onus, dum Copia felix
Iungas regales æterno fœdere faſces,
Nil precibus mea fata moror. Admouit iniquis
Labra, manuſque genis primæuus Ductor, &, Vnde,
Confeſtim dulci mulcens ita voce reponit,
Vnde metus, quæ dira meæ contraria menti
Iam formido ſubit fidum ſuper omnia pectus?
Iuro per hoc ſacri miſerum geſtamen honoris,
Perque Patris magnum, & mihi ſemper amabile Numen,
Nil fore quòd monitiſue tuis, votiſue negetur.
Vel ſi Sequanicas euertere funditus Vrbes,
Sueſſionumque pari confundere mœnia fato.
Quin age maternas quis demùm eludere profer
Sit modus inſidias, Regnique arceſſe ruinas.
Dixerat, atque eadem Frater blando ore fremebat.

Dumque iacent proni in pectus, fidumque repoſcunt
Conſilium, vomit ille truces de corde chelydros,
Diſpenſatq; luem geminis. Stetit ebrius omni
Frater vterque Erebo, crebroque agitatus hiatu
Æſtibus internis optata leuamina quærit.
Atque ita furtiuas hauſere vbi mænia flammas;
Et populus comportat aquas, ſonat oribus ardens
Perpetuis concuſſa domus, tamen exit in auras
Flumine neglecto, ſemper violentior ignis;
Et ſi non addit, tamen addere viſa flagranti
Exitium medicina malo. Tam debile fibris
Aura dat auxilium, ac incendia anhelitus auget.
Talis in OEtæis contagia rupibus hauſit,
Et ſcidit incautas, Neſſo graſſante, medullas
Amphytrionææ Victoria prodita Prolis.
Ambitus impatiens Regni præcordia torquet.
Ipſaque diſcordes turbat Concordia Fratres
Tunc vt lingua faces, (quis linguæ neſciat ignes?)
Agglomeret, Quæ digna ſatis diademata Mundus
Sufficiat vobis, magni ſacra Germina Regis,
Queis placet excelſis famulum caput angere curis.
Quòd tenuis ſi tanta iuuat fiducia mentis,
Obſequor, atque animæ reſero ſecreta fidelis.
Sublimes adyti, penetralia Numinis, Aræ,
Tuque vltor ſcelerum Numen, quod pronus adoro,
Sanguinis infectas liceat mihi perdere leges,
Viribus hoſtiles paribus compeſcere vires.
Arte artem ſuperare licet, dum Regna reguntur:
Cauſa mali pereat, quod ſi mactare nefandum,

Quam-

Quamuis appoſito ſint omnia vilia Regno,
Sitq; loco ſceleris nimio potuiſſe timeri,
Captiuam ſaltem vigilans cuſtodia ſeruet.
Nec labor, officio vincetur mollis amico
Fœmina, ſeu Genitrix, modò fœmina, fœmina cedet.
Nuntius illam adeat, deſideriumque Nepotum
Inſimulet, lætiq; inuitet ad otia Ruris
Regales Pueros, geminis ſolatia Natis.
Quod ſi dura neget votis male fida precantum
(Nec dubitamus enim) abſoluit nos iuſta timentes
Suſpicio, certoque nimis iam prodimur aſtu.
At ſi ſecuras præſtet poſcentibus aures,
Incautiq; cadant in ſubdola retia Piſces,
Optandum nil reſtat adhuc, tum crinibus ipſam
Captiuam ſine lege trahent hæc brachia ſortem.
Vocibus his inflati animi, creuere furores,
Non ſecus ac ſonipes clamore impellitur alto
Barbarus, & voces rapida capit aure ſequentes;
Laudariq; ſuperbus ouat, Comitemq; præire.
Tum ſic Clotharius, Nondum bona Numina Gallos
Deſeruiſtis, ait, Cuſtodis prodiga tanti.
O' ſemper dilecte, dolos vbi voce latentes
Exeris, vtque doces patefactæ illudere fraudi.
Iam capitis Diadema mei, Regnique potentis
Arbitrijs tractanda tuis ſceptra aurea ſeruo.
Tum iubet acciri Celerem, magnæque Parenti
Hæc portanda canit. Cur noſtra Nepotibus arcet
Lumina, & amplexus cur inuidet illa petitos?
Dic valeat, regnetque diu, Natoſque valere

Per-

Permiſsis iubeat Pueris. Tu ſingula Matris
Verba nota; nobiſq; dein referenda memento.
Audijt, alipediſq; citi ſtillantibus armos
Exagitat ſtimulis Celer, & vorat ordine Campos.
Iamq; Sygiſmundus Chramnis venerabilis aureis
Exuuijs, reliquis Barathrum mortalibus infert.
Nempe domum, Regeſq; truces, Aulamque peroſus
Egreditur foribus, Populoq; immixtus inerti
Ora ceraſtarum paſsim ſqualentia tabo
Ingerit, & vocem, quoties iuuat, anguibus addit.
Quid famulos patimur Reges, ſemperque verentes
Exitium capitis? Si ſic meruere Potentes,
Quæ Populos Fortuna manet? iam creſcit in æuum,
Creſcit in excidium proles inimica ſupremum.
Surgens Hydra cadat, pariatq; extincta quietem,
Quam viuens populis negat. Eheu quanta iacebis
Quamprimum armatæ data præda Lutetia Genti!
Quis contra arma ferat? quiſue obuia Lilia geſtet?
An Senio vicina Parens, ſiue apta Nepotum
Brachia vix cytharæ, & calathis? Date prælia Reges,
Aut totum, aut nullum Imperium ſibi Gallia poſcit.
Talibus augebat per compita vaſta ſuſurros,
Spargebatq; manu ciuilis ſemina belli.
Sed Solis iubar inſoliti non ſuſtinet vltra,
Ignotumq; diem facies vmbratilis horret.
Ergo gradum rapidus ſceleratæ ad mænia noctis,
Irarumq; ſatur patientibus intulit oris.
Senſit abiſſe Dies, radijs Sol protinus aureis
Flammiuomos aſperſit equos, nube obſitus æther

Canduit

Canduit, & vultu plaga riſit Galla ſereno.
Ingreditur melior, non cæcis mæſta tenebris,
Infernoque horrore grauis, ſed pectora curis
Exutura malis Nox candida, fulgurat Aſtris
Lenior aſpectus, legiturq; benignior Orbi.
Funeream Libitina manum, falcemq; cruentam
Exerit, immitemque Ducem ſub Tartara pellit.
Interea properat fæui mandata Tyranni
Clothildæ perferre Celer, iam cominus altas
Miratur Turres, & Pergama proxima Cœlo.
Poſtera lux aderat, cum limina prima ſubibat,
Dum blandis Regina fouens complectitur vlnis
Pignora bina, vlli numquam mage cara Parenti:
Gottardum, quo non alius caput extulit Aſtris
Pulchrius, aut humeros crinis compeſcuit auro,
Tebaldumque, facit quem gratum infirmior ætas.
Tum Pueris præcepta dabat, qua lege regantur
Pugnaces Populi, quibus artibus ardua Regni
Maieſtas ſeruanda diu. Quæ frena rebelles,
Præmia quæ fidos deceant, vbi munera larga;
Atque vbi ſublimes ſatius dare dextera honores.
Clodius at primis diuerſa in parte Dynaſtis
Mixtus, at ingenti longè Virtute notandus
Ora ferocis Equi bacchatis frænat habenis.
Clodius, intactæ cui nondum perfida malæ
Offendit lanugo niues, ſed mente ſenili
Iam ſceptris propior ſpes, & tutela Sicambris.
Nulli Sydereo tantum decus ore renidet.
Nulli tanta quies, mixtoque lepore ſeuerum

Pon-

Pondus, & æthereos ceruix ſortita decores.
Talis primæuis nuper LVDOVICVS in annis
Robore Gradiuum referens, & imagine Phœbum
Præluſit Getico per martia geſta triumpho.
Ocyus ad ſummas, læto comitante ſuſurro,
Clotharij nuper miſsum Dominantis ab Arce
Aduentaſſe Virum defertur nuntius ædes,
Protinus ignoto præcordia concita motu
Subſiliere, ægro cor perculit impete terror;
Præſagum cor nempe mali. Iamque anxius Aulæ
Intrat Eques thalamos, Dominæ præſentis honores
Expoſcens. Solio reſidens Regina potenti
Annuit admiſſo, trepidaſque accommodat aures,
Quantùm arti, fraudiq; datum, quantumq; licere
Clotharij infandus ſceleri ratus, ore miniſter
Orditur, Regum dum vota nocentia pandit.
Multa perorantem, Puerosque ad rura vocantem
Audijt ægra Parens, geminaq; exercita cura
Conſilium ſecum ipſa mouet, quid ſentiat anceps.
Hinc Amor in Natos Matrem coquit, inde Nepotum
Vota, preceſque trahunt dubiam in contraria mentem;
Ergo immota ſedet, Parioque ſimillima ſaxo.
Sollicitat reſponſa Celer, tunc ipſa profundum
Corde premens vulnus, Cognati hoc pignus Amoris,
Sed vetat imbellis Pueris regalibus ætas
Difficiles tentare vias, Soleſque timendos.
Vix ea, ſunt triſtes Pueri, cupiuntq; rogantq;
Libertate diem poſt tædia longa ſerenum.
Ingratum Patruis. munus ſi exile negetur.

Id

Id fore; Perpetuò num carcere clauſa Iuuentus
Noſtra gemet? da mater amans quod poſcimus omnes.
Talia dum iactat latitantum ignara malorum
Turba minor, prono quoque vertice Clodius intrat.
Te poſcunt Patrui cum fratribus, illa profatur,
Cara mihi Soboles, caroque ſimillima Nato:
Iamne lubens ibis? ſed te dimittere ſolum
Mens foret, vt fortis, nec inepta laboribus ætas.
At pueros Amor vnus habet diſcedere, iterque
Te præeunte ſequi. Ah quondam, ſed ſerò patebit,
Quam male vos Auiæ ſubduxerit importunæ
Libertatis Amor. Dulci tunc ille modeſtus
Alloquio, Diſpone Parens decus, atque ſalutem
Tutetur quodcumque meam, tibi viuimus omnes.
Te renuente, nihil cupio, te cuncta, iubente,
Aggredior, felixque tuo rego tempora nutu.
Ire cupis, nil vota moror, ſubſiſtere rurſus
Alma iubes, domino nunquam diuellar ab ore.
His dictis commota ruit, pulchramq; coercet
Ceruicem amplexu, laudanſq; dat oſcula fronti.
At multa in faciem præſaga abit vnda flagrantem,
Nonque ſuo Iuuenis madefiunt lumina fletu.
Horruit illa omen, ſed preſſit corde timores,
Mox, & abibis, ait, faciliſque relinquere Matrem
Sic poteris Clodi? ſed abibis, & ipſa iubebo.
Tu tamen, ò Animæ ſuauiſſima portio noſtræ,
Dum procul à nobis durum patiere laborem,
Sis memor, oro, Auiæ, celerique reuertere greſſu.
Iamquè redux geminæ Natorum Nuntius Aulæ

Tergeminos pariter fidus promitte Nepotes:
Cum Phaetontis Equos lux prima retexerit ortos,
Ingredientur iter, Patruorum ad mœnia tendent.
Imperat inde viæ Comites, famulosque parari,
Erminiusque prior Procerum fidissimus vnus
Deligitur, fremituque sonant longa atria læto.
Interea latrant grauibus præcordia curis
Clothildæ, causamque sui petit anxia luctus.
Talis & in medijs quæ pectore spicula Syluis
Cerua gemens excepit, abit, cursuque citato
Præsenti veniens præfert à cuspide vulnus.
Scit laceros latrare sinus, sed vulneris author,
Quod non visus adhuc, ignota ad funera damnat.
Hoc mihi de tantis, Superi mæroribus, inquit,
Si satis æqua precor, miserum præbete leuamen.
Iamdudum æternis, dum inuisa perfruor aura,
Me scio deuotam lacrymis, sed noscere saltem
Vulneris ah liceat quis pectora sauciet ardor?
Hoc munus crudele peto. Si debile tales
Cor sibi fœmineum mentitur sponte pauores;
Ah vtinam! nil plura queror. Sic fata recenti
Lumina conatur componere languida somno.
Irritus at labor: horrendas nocturna figuras
Obijciunt simulacra oculis, dulcique propinquam
Transitui exterrent, monstrisque immanibus implent;
Fœmineam excusat mentem, rursusque soporem,
Si qua via est, reuocare parat, collumque reclinat:
Illicet horribiles sanie, rictuque cruento
Elatebris cernit geminos exire Leones,

Non

Non quales clauſi ferratis vndique ſeptis
Amphytheatrali præbent ſpectacula arenæ.
Sed maior dat forma Feras, furor, iraque maior,
Maiorique profunda premunt veſtigia greſsu.
Nec procul imbelles labris frendentibus Agnos
Arripit, & rabido fera copia deſtinat ori.
Hæc inter Lea rurſus adeſt, miſerataque cladem
Flectit ad obſequium, mollemque inſpirat Amorem
Alteri, is ingenti delambit vellera lingua.
At dudum alter atrox primum diſcerpſerat Agnum.
Vlnis ille tegit, ſubeat ne iuncta ſecundum
Fata pecus, fidoque fouet ſub corde trementem:
Perfurit iſte magis, Sociumq; in prælia poſcit
Impius, optatæ fiat niſi copia prædæ,
Intenditque truces morſus. Exterritus alter
Vel ſceleris facie prædam, bellumque refugit
Concidit infelix, magnoq; incluſus hiatu
Flebile, ſupremumque gemit miſerabilis Agnus:
Exultat victor, geminaque in ſtrage ſuperbus
Incedit, rabiemque tenet, queriturque furendi
Materiam perijſſe ſtatim, caudamque, iubaſque
Intriſam inſonti plaudit, verſatque cruori.
Dum cædi illacrymans gemitum dat pectus anhelum
Clothilda excutitur, rurſuſq; in pectora fletus
Ibat inadmiſſus. Tum, Parcite, parcite, clamat,
Pondus funeſtis auertite ſydera laruis.

CLODIADOS LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

CLothildæ responsa nuntius refert Clothario recubanti, qui odij causas inde colligit, & quiete corripitur. Tum inter somnia à Clodio Pastoris veste induto, Regno, vitaque sibi spoliari videtur. Excurritur, & Sicarios, qui Nepotes in nemore trucident, mittit. Perueniunt ad insidiarum locum Principes cum Erminio, quem dederat Auia custodem. Tum duo minores incerta fuga correpti Patruorum in manus incidunt. Hos sequitur quidem Erminius, sed non prius assequitur, quam inter hostes deductos. Comitatur ipsos ante Patruos, & solus dimittitur. Festinus ergo redit ad nemus, & recepto Clodio, iter prosequitur. Prospiciunt inter densi nemoris frondes Clodomirum cum ingenti Cohorte, qui Rauyri caput Fratri refert. in Vrbem raptim redeunt, perque viam diris terrentur ominibus. Ibi Procerum Concilium habent, & decreto bello rursus insidijs Reginam matrem capere cogitant. Mittunt legatum, qui repetat Clodium, & de latronum scelere, quos nescire simulant, conqueratur.

TV quoque, sed meritus miserum cum Matre soporem
Clothari, dubiæque tra his mala tædia pa is.
Nempe timor cæcus sceleris, quod concipis, vltor
Exigit, admisso nondum, de crimine pœnas:
lamque Celer summæ referebat iussa Parentis,
Nescit enim ferus ille moras, thalamoque propinquum
Ire iubet; tum poscit hians, Quid turba Nepotum,
Quid Regina? refer. Trepidum me suscipit, inquit,
Nec minus illa pauens, vultusque, animumq; loquentis
Male-

Maieſtatē graūi turbat, mox anxia quærit,
Quæ mihi cauſa viæ? Felix an nuntius edam
Incolumem ſobolem? ſolitane in pace regnantur
Sceptra Ducum? cum verba tamen commiſſa peregi,
Ora ſerenauit, faciliſque in vota, lubenſque
Deſcendit, Placuere pij (ſic dixit) Amores.
Gaudebant Pueri, munuſque à matre petebant,
Matre ſonant ædes, Auiæ neque nomina norant.
Mox & formoſo procedit Clodius ore
Percitus igne genas, ſtudioque accenſus equeſtri,
Multa ſuper Patruis rogitans. Hunc pectore blando
Excipit, atque viæ cauſas exponit, & addit
Oſcula nectareis per ſingula verba labellis,
Et dulces lacrymas per ſingula baſia fundit.
Ipſe ſubit nutus, non quod, Patruique vocaſſent,
Et cognatus amor, ſed quod Regina iuberet.
Tandem hæc dicta tibi lacrymans, Fratrique remittit,
Cum Phaetontis Equos lux prima retexerit ortos,
Aggredientur iter, Patruorum ad mænia tendent.
Ille fremens, An ſæua petent ſpelæa Cyclopum,
An Lybies inimica Parens. Quid inane Parentis
Iacto nomen adhuc? Pro Natis illa Nepotes,
Non Natos numerare poteſt. Lacrymaſne pudendas
Legato occuluit? dubio num corde pauores
Preſſit? & ò ſaltem quidni ſaluere iuberet?
Faxo, iuſtus erit nimius timor: exuo mentem
Humanam, ſic me Regina ſuperba coegit.
Talia verſat inops animi, namque inferus ignis
Inconſumptus adhuc præcordia ad intima ſurgit:

Im-

Implacido demùm concuſsit verbere Morpheus,
Et dedit ambiguam madidanti rore quietem.
Tum ſtetit ante oculos ſemoto e vertice Paſtor
Miſſus, at in ſpolijs poterat modo Paſtor haberi,
Cætera ſunt Regis, ClodIque ſimillimus ori
Vultus, idemque decus; Iuuenilis dextera vaſto
Robore fulmineum (nec fallitur) incutit enſem,
Obliquaque acie per terga iacentia ſæuit.
Nec ferit, at nigris liueſcunt corpora ſignis:
Quin etiam capiti læuam intendebat inermem,
Carperet vt victi pretioſa inſignia Regni.
Ipſe ſibi viſus laniatis artubus actam,
Sanguineiſque rigare vadis, paulumque moratus
Iratum iugulo miſerabilis accipit enſem.
Et licet exanimis, cernit gemebundus amatæ
Coniugis exequias, Clodomirūmque ſub altis
Celſa triumphantis veſtigia prendere portis.
Is riuos ſudoris agit, tum denique ſomnus
Labitur, & media trepidantem à cæde reuellit:
Quiſquam impune meo prætenderit improbus ori;
Meque vidente, necem? mea funera Clodius vrget?
Clodius? atque ira cumulas patiente pudorem
Lente, enèruis, iners, & (probrum inſigne, Tyranno
Quod ſuper omne venit) ſummis in rebus inulte?
Dulce nefas, pretium, quod penſat amabile, Regnum.
Si tamen ille nefas, qui fata feri occupat hoſtis,
Ne cadat, aggreditur. Cum fratribus ipſe peremptus
Mentis ſupplicium ſoluat, ſceleriſque parati
Clodius, in Syluis debet procumbere Paſtor.

Ad-

Adde quod ignoto ſoboles teterrima Campo,
Ignoti pariter conſumet funera fati.
Sic opus inuiſæ ſecurum Matris ab aure
Ad plenos poterit perducere vota triumphos.
Haud aliter Tyria violens Regnator in Vrbe
Fœdera ſacra hominum, Cœlique oblitus, agebat
Quinquaginta animas ad ſæua piacula belli,
Quæ meliora ferum (fati tamen ordo vetabat)
Optauere caput. Media tum nocte ſilentes
Exterret gemitu tenebras, atque increpat vmbras
Cunctantes, lentumque diem, ſegneſque latrones.
Protinus exiluit ſtratis, & adeſſe Ramyrum
Spretorem Cœli, quo non viget aptior vllus
Cœdi armare manus, gladiumque animare furore
Sanguineum, fidæque furens ſic imperat auri.
Delige ter denos Equites, quaqua improba tendit
Turba viam, frondemque magis Sylua horrida iungit,
Milite multiplici nemorum prærupta corona.
Tum Pueros demitte neci, Clodiique ſuperbum
Fidus redde caput calidum de cœde recenti.
Hoc erit, hoc fidei nulli dubitabile ſignum.
Sic ait, atque vigil, quamuis Aurora cubile
Purpureum ſecura premit, ſecuraque fulgent
Sydera ab Aurora, velamina regia veſtit,
Germanumque graui cohibentem lumina ſomno
Increpitat, Dum ſceptra labant, ſpectantque ruinam;
Otia longa teris? ſimul ordine ſingula pandit,
Et ſæuo quæcumque dedit mandata Ramyro:
Horruit ille quidem, ſceleriſque ab imagine vultus

Auer-

Auertit, ſed mox (proh Regni cæca cupidò!)
Annuit, atque comes fraterna ad crimina ſurgit.
Ergo fidem infidam Dominis ſacrare nefandis
Nititur, atque ſequi præcepta Ramyrus anhelat:
Haud ita in Aeolijs bacchantia flamina Regnis
Exercent vacuas furias,, & inania quaſſant
Antra truces, Regiſque expectant iuſſa potentis;
At ſimul ille graui montis latera aſpera ſceptro
Impulit, & ſæuas dedit ire per alta procellas,
Sponte ruit rabidis certans Aquilonibus Eurus;
Telluremque ferox, & cærula verrit, & Aſtra.
Terdenos igitur Iuuenes, validiſſima bello
Pectora in arma trahit, mercedem hortatibus augens.
Proh facti monumenta trucis! conſpirat in vnum
Plebs numeroſa caput, quis enim niſi Clodius auſit
(Imbellemque vocant) ferre obuia ſpicula contra?
In nullum gens tanta ruit, tamen eſſe nocentes
Complures iuuat, & ſcelerum commercia laudant.
Iamque rubeſcentes Oriens iactare nitores
Cœperat, & prono iam languida ſydera Mundo
Hoſtili ſub luce tegi, cum prodijt alto
Flens Regina toro, magnamque inflectere molem
Imperij perdocta iubet circundare euntes
Ingentem Procerum comitatum, & adeſſe per Vrbem.
Adſtitit innumerus ſonipes, pulſuque frequenti
Crebra fatiſcentes latè ferit vngula campos.
Sed faſtiditos cum non procul illa nepotum
Senſit diſceſſus, doluit ſenſiſſe, moræque
Intentare nouas, iterumque innectere cauſas

Co-

Conatur, mæſtum ceu ludere quærat Amorem:
At grandis volat axe dies, & corripit horas
Præcipites; rurſum illa gemit, Phæboque nocenti
Obijcit inuidiam, nunc huc, nunc diuidit illuc
Se pueris partita diu, gemebundaque caris
Vultibus incumbit, quin cernua vota per auras
(Vota licèt ſummo non exaudita Tonanti)
Fundit, & ancipiti ſic ſydera voce fatigat.
Aeternum Numen, tuque ò mihi Numinis inſt.
Virgo, preces audi, ſi digna petuntur, amantes.
Incolumes Pueros ſi munera veſtra remittunt,
Iam nihil ingentes vitæ finire labores
Deprecor, at ſolitos (fugiant dira omina verbum)
Si ſolitos gemitus mihi lex æterna parauit,
Præcipitate meæ iam tempora longa ſenectæ,
Dum gremio miſeræ ſolamina dulcia ſortis
Hos foueo, amplexuque fruor ſecura Nepotum.
Denique progreditur lacrymis comitata relictæ
Regia turba, Ducum circumuallata maniplis.
Clodius extemplo faleris crepitantibus auro,
Iniecitque manum, notoſque aſcendit ad armos.
Surrexiſſe ſolum, delubraque ſumma, domoſque
Decreuiſſe putes, Procerum cum maximus ordo
Inſilit, alipedum ſpumantiaque ora coercet:
Fratribus is medius, Clodi, tantoque tuorum
Lætaris numero, cupidarum & lumina matrum,
Plaudenteſque hilaris populos, ac mænia paſcis.
His decor in membris, & pulchri verticis aurum,
Formoſæque alijs laudata modeſtia frontis.

Ille venuſtatem multum regalis habentem;
Ille decus tollit, ſuperiſque adamabile Trinum;
Qualis & ad ſortem tum dicitur arduus inter
Regnatorem Erebi, Dominatorem que profundi
Acceſsiſſe Iouis, vincto Genitore, verendus,
Quod niſi Tyndaridas numerus, Virtuſque præiret;
Iam mihi Tyndaridæ miſerandum ad funus euntes
Viſa infelicis ſoboles pulcherrima Regis;
Erminius tum pone ſequens veſtigia ſeruat
Fidus, & à portis equitatum ducit apertis.
At nitidi Princeps tum fræna reuoluit in Orbem
Læuus equi, Proceres ſic ore profatus ad omnes;
Hactenus ò Comites, communis nobile Amoris
Suſcipio pignus, memoriquæ in pectore ſeruo.
Iam reliquæ ſatis ipſe viæ, Ductorque, comeſque
Erminius ſubeat, tutoſque ad mænia ſiſtat.
Sic obluctantes dimittit, & ire volentes
Blandus, & optato nullos non lumine ſignat;
Si lacrymis menſura datur, fletuſque doloris
Index, mille Auias ad Patria limina linquunt.
Omen atrox equidem, &, ſi mens præſaga fuiſſet,
Vtile! Tum rapido per prata virentia curſu
Gaudentes laxantur Equi, volat æquore toto
Libertate cohors felix, Sed Clodius æuo
Fortis, & ingenio gaudet ſermone labores
Proximus Erminio, Soliſque leuare, viæque
Macte animis Heros, numquam melioribus orſis
Belligeræ poteras ordiri prælia luctæ,
At ſpatijs diſcrimen atrox propioribus vrget;

Iam-

Iamque tuæ premimus sæuam Virtutis arenam.
Iam Sol affusis permittit abire per Axem
Syderibus, Regnique vices dat habere Sorori.
Stat curuo depressa sinu, solumque propinquo
Colle videnda iacet nemorum inter condita vallis.
Hanc velut excubiæ, circum vndique Sylua fidelis
Obsidet, & latè numeroso Robure cingit.
Hac illis iter ad Patruos, aditusque malignos
Incauti subeunt, nam quid lethale timerent?
Limes ibi angustus tacitæ ad decliuia sedis
Ducit, & haud geminos patitur transire iugales.
Hic stetit armato cum milite, prima Ramyrus
Corpore terribili loca possidet, armaque iactat;
Quattuor hic famulos, quos sarcina multa grauabat,
Obtruncat miseros, & opem post terga petentes.
Cinginur insidijs, iam spes erepta salutis,
Protinus Erminius, forti quin pectore lethum,
Quod supereſt, subeamus, ait. Tum Clodius ardens
Infremit, vltroemque manu lateri eripit ensem,
Erminius sequitur casus in vtrosque paratus,
Seù iam sponte mori, seù pignora cara tueri.
Ille petit fauces interritus, & vocat vltrò
Ancipites terrore nouo, namque ore fauillas
Euomit irarum, geminoque è lumine fulgur.
Talis in æthereis rutilum caput explicat oris
Regibus, & Populis portendens fata Cometè,
Longaque crinitæ diffundit lumina flammæ,
Heu Mundo ferale iubar, sed dulce videnti.
Et licet is reliquis formosior emicet Astris,

Diſpenſat grandes in publica damna pauores:
Sed ſimul ac fraudes agnouit, & ora Ramyri,
Hoſne mihi occurſus Patruorum dire miniſter,
Hæc mihi dona geris? ſic fatus dirigit enſem,
Qua caput exurgit rabidum, iuguloque ligatur.
Scilicet ille manus improuidus extulit ambas,
Illudenſque ſuper, Quin accipe munera, dixit,
Et graue demiſit ferrum, ſed corpore vulnus
Clodius euitat, femoriqūe incumbere ſummo
Admittit, modicuſque cruor de vulnere manat.
Fulmine ſed citius collum mucrone nefandum
Impulerat, buſtumque ſolo crudele ruebat
Euxippum ſub mole premens, gemuiſſe fragore
Viſa humus, horrendumq; ſonum magna arma dedere.
Attoniti trepidare omnes, Ductore perempto,
Et vetitam iam velle fugam. Tum Clodius ipſo
Succeſſu fortis, ſpiranſque immane, trementes
Inerepitat, Banumque ferit; inde Saraſtem,
Antigonumque comis arreptum, & plurima fruſtra
Dicere, ne inſtanti caderet mucrone, parantem.
Nouit vbi cecidiſſe Duces, in cætera tendit
Corpora iam ſperans, atque æquore currit aperto,
Erminioque locum auxilij non ante patentem
Arrepta iam valle finit. Licet obſitus æuo
Emerita virtute furit, Dominoque leuamen
Ille inſigne gerit, Dorilique in tempora lignum;
Quod fors ipſa dedit, furibundo turbine vibrat.
Corruit illiſum concuſſa per oſsa cerebrum,
Perq; oculos, perq; ora venit, micat horrida in aruas

Ar-

Arbor, & ingentes agitat robuſta ruinas.
Tum ferit Euandrum gladio, petit inde Neronem,
Virginiumque ſuper iugulat, rabidumque Timantem.
Non ſecus alpino frondoſa cacumine Quercus
Tempore victa ruit, vicinaque germina ſternit
Vel ſenio metuenda, ipſiſque potentior annis.
Quattuor è multo reſtabant agmine adẽptis
Debita turba tamen ſocijs, tum denique Fratres
Senſit abiſſe procul, gemuitque exterritus Heros.
Tum iubet Erminium veſtigia cara tenere,
Dum ſtragis numerum aſsequitur, volat ille, pedumq;
Signa legit, volucrum qua ſemita mõſtrat Equorum.
Iam ſatis expertus quo robore Clodius iras
Vulnificas acuat, quantuſque in prælia ſurgat.
Illi vbi telorum incurſus, chalybiſque cruenta
Fulgura viderunt, diuerſo calle ſalutem
Quæſierant trepidi, & Clothildam ſæpe vocantes.
Scilicet ignari ſcelerum, ignarique locorum,
Sorte tamen ducti, Patruorum infida petebant
Mœnia, nec citius deprehendit Alumnus anhelo
Quadrupede attonitos, quàm limina dira ſubirent.
Sic gemini fugiunt fidis ab ouilibus Agni,
Quos lupus inuaſit per patria rura vagantes.
Ignotas errore vias, & luſtra frequentant
Balatu querulo, matremque per antra requirunt
Horrendis habitata feris, & ſordida tabo.
Tum, quia nulla via eſt reditus, pretioſa Leonum
Ingreditur ſpelæa dolens, Patruiſque cruentis
Siſtit inoffenſam curam, ſeriemque peractæ

Ex-

Exponit ſtragis, ClodIque pericla recenſet;
Dictis prona fides, ſed ne ſcelus emicet vmbris
In lucem, finxere metus, dubitante petentes
Mente mali Authorem; Metuunt, ſed ſola timoris
Cauſa venit Virtus, qua Clodius arſit in hoſtes.
Dein petere, an ſaltem dignouerit ora latronum,
Fingere & vltrices furias, atque arma iubere.
Ille quidem vitæ contemptor, & otia lethi
Inuicto iam corde petens (grauis additur ætas)
Nota palam facilis fateatur tela, viroſque,
Ni procul expoſitus diſcrimina ad vltima cogat
Clodius inuiſæ producere lucis amores.
Tum parat infandis mendacia digna Tyrannis.
Per vos auſpicijs paribus capita alta ferentes
Magnanimi, teſtor, Reges, ignota iacere
Prædonum ora mihi, quiſquamne ardentius optet
Criminibns pœnas, quam crimine pœne peremptus?
Sed mox huc aderit ſudore, & puluere belli,
Atque cruore fluens, qualem mox ipſe reliqui,
Si tamen indignis non corruit obrutus armis,
Clodius ipſe redux narrabit, & ordine cœdes.
Dimiſſum tunc ire iubent, Matrique dolorem
Edere mentitum. Clotharius inde ferocem
(Sæuior illum Erebus, facinuſque nocentius vrget)
Compellat Fratrem, tacituſque immurmurat auri.
Vade præi Zephyros, multamque impelle Phalangem,
Qua iacuit miſeranda Cohors, ClodIque ſuperbum
Quære Caput, ſperamus enim mox digna Ramyro
Supplicia exoluiſſe meo, cui denique iunctus
Impiger huc redeas. Dumque aggerat impia iuſsa,

Senſit (an vlla ſenem fraus fallere poſſit amantem?)
Erminius, greſſumque rapit per tecta trementem,
Seque nouo permittit Equo, permittit habenas
Præcipites, ſpatioque breui ſuccedit iniquis
Faucibus, inſidias vbi pertulit ante nefandas.
Cernit ibi immenſis proſtrata cadauera paſſim
Vulneribus magnæ teſtari fulmina dextræ.
Vndiqu̅ deſcendit primo de margine inundans
Vallis in ima cruor, niuibus quaſi Vere ſolutis,
Riuum̅ quiſq; ſuum fundit per vulnera miles.
Non tamen in medijs quæſitos inuenit artus
Vſquam funeribus, mox detegit ora iacentum
Singula concla mans, & plurima corde volutans.
Aſt vbi percenſet numerum, cecidiſſe minorem
Senſit, & ingemuit geminos abijſſe latrones.
Terr tus extemplo, Patrui iam vincitis, inquit,
Vincitis infauſtis innoxia pignora votis.
Cauſa nocens placuit Cœlo, & fortaſſe catenas,
Infelix Princeps, ſceleratáque vincula portas,
O Regni ſpes vna tui, miſeræque Parentis.
Occidi te, meque miſer, dum milite ſeptum
Multiplici, & feſsa lentum virtute reliqui.
Non Ego ad attonitos ſine te rediturus amantis
Clothildes oculos, peragam hoc mea funera Campo.
Iamque pererrato conſederat æquore victi
Aeger conſilij, & Cælo ſua fata petebat.
Talis & ingeminat, cui vitam corripit ætas,
Corripit & ſociæ dolor impacatus ademptæ,
Ad vada Mæandri moriturus carmina Cycnus.

Gutture tum patulo, mulcetque dolentibus auras
Vocibus, & littus, queruloſque interrogat amnes.
Dumque obitum ſperat, nimij quaſi præmia luctus;
En gemitu compulſa leui ſibi tempora ſentit.
Ambiguus tamen ille ſonus, voxque addita rurſus
Dulce gemens, Clothilda vale. Tenet ergo tenorem
Aeris impulſi, vociſque iuuamen anhelat.
At Rex vicinos morienti vbi concipit aure
Ire gradus, dextra capulum labente recepit,
Erexitque caput, ſed cum notiſſima fidi
Erminij facies apparuit, ore quieuit,
Heu velut ancipitis iam tutus honore ſepulchri.
Vix videt, & noſcit, curſuque in cara rapaci
Membra ruit, trepidiſque ligat niuea ora lacertis
Sæpe vocans, lacrymaſque nouo terrore coercens:
Ille nihil contra, nam frigidus horror in artus
Venerat, & vitæ generoſa arcana ſubibat.
Is decor ora tenet, Phæbi ceu luce fugati
Fulget inops rutila, viduumque per aera pulchras
Seruat adhuc, Aſtris interlabentibus, vmbras,
Et licèt obſcurum, tamen ardet amabile Cœlum:
Extemplo notam ille petit medicaminis artem
(Hoc etiam Regnantis Aui geſtabat in vſus)
Crebriſque applicuit repetito fomite plagis.
Deſertas ſuccis capit is reuocantibus auras,
Auctoremque ſuæ deſignat lumine vitæ.
Rurſus & agnoſcit, paulumque accedere ſermo
Incipit, exileſque ſonant de gutture voces.
Heus vbi paruorum cariſſima copia fratrum:

Si

Si periere, ſequor. Viuunt, viuentque per æuum,
Te ſemel, ò frater nimium generoſe, recepto,
Excipit Erminius, dabitur mox ora tueri,
Artuſque incolumes, & vultibus oſcula ferre:
Te dignis modò ſurge animis. His vocibus actum
Alleuat ille caput, genibuſque trementibus vltrò
Infirmum commendat onus, caroque ſodali.
Et iam Mœoniæ cor auxiliaribus artis
Viribus armatum melius veſtigia firmat.
Tum rogat Erminius, (peragrat nã plurimus æquor)
Cornipedem arripiens, in ephyppia inania ſurgat.
Ipſe rapit campum ſulcantia lora Ramyri,
Et ſtimulis ingentis Equi nigra terga laceſſit.
Primus in ignotos tenuis qua ſemita calles
Dirigit, ad ſedes luci, Phœboque negatas
Inuehitur, ſeſeque rapit feralibus aruis.
Inſequitur, numeratque premens veſtigia Princeps.
Vix è conſpectu funeſtæ vallis iniquo
Exierant, poſt terga pedum cum maximus inſtat
Ceu populi ſonitus, ſurgitque ad ſydera nimbus
Puluereus. Dignus tantis ità crederis armis
Clodi, vt ad excidium plena legione petaris.
Acceleremus, ait, nos nos iterata repoſcunt
Tentamenta necis, Princeps. Sic fatur, Equumque
Incitat Erminius. Tum reſtitit igne decoro
Ora notans Iuuenis, Martiſque infrenduit æſtu.
Et velut imbellis, qui iuſſa ſuperba magiſtri
Suſtinuit patiens Nemees Regnator, & iras
Dedoctus, ſi gutta tamen guſtata palato

Sanguinis humani dulces docet esse furores,
Iam furit, arrectisque iubis funesta minatur
Gentibus, horribili fassus ceruice Leonem.
Ibat ad huc, rabidum nec respiciebat Alumnum,
Monstrabatque viam minus atris sentibus hirtam
Ductor, at insanæ rapiebant dicta procellæ.
Namque ferox visu processerat ense reducto
Clodius, atque noua, & peiora in bella redibat.
Arduus æquoreis sic ibat ab arcibus auras
Remigio alarum quatiens, comitemque docebat
Dædalus ignoti discrimina ludere callis.
Turgidus at, facilisque impulsus amore volatus
Ille iubar Phœbi lustrabat, & ore recessus
Sydereos, Superosque miser stimulabat in iras.
Vt videt in præceps discrimina nota petentem,
Quo raperis Princeps, quæ mentem insania turbat?
In centum armatos quid saucia dextera possit?
Verte gradum, siue ipse tui modo præda furoris
Ense meo moriar. Dixit, gladiumque reclusum
Aptabat lateri. Perterritus ille recenti
Arte Viri, recipit vestigia, Equumque coercet.
Patruus interea stupet alta in strage suorum,
Metiturque manum, per vulnera vasta, Nepotis:
Dumque excurrit agro, caput in ferale Ramyri
Incidit, & duro cerebrum terit vngula cornu.
Nec iam ignota diù ceruix excisa, Virique
Spirauit sæuos notum velamen honores;
Horruit obtutu Regnator, & Vnde furores,
Vnde, ait, imbelli tam vasta potentia dextræ?

Ah

Ah nimis in noſtras immmania Tartara clades
Armarunt Puerum, ſæuumque dedere flagellum.
Non Lea, non catulo ſic æſtuat atra reperto
Tigris, vbi reliquam ad Gangetica littora defert
Venator prædam, primumque (ea ſola furenti
Namque mora) exoluit, medioque in calle relinquit:
Illa quidem celeres Equitis præuertere curſus
Audeat, at carum tectis componere pignus
Certus amor reducem viduata ſub antra reportat.
Talis ad infandum verſo legit ordine Fratrem
Mæſtus iter, caput ipſe gerens infame Ramyri,
Vtque ſuperiecto ſpoliauit vellere vultus,
Hoc tibi pro Clodi Gladiator flebile collo
Ecce refert donum, ſeſeque in munera iungit.
Sume, Nepos quicquid permittit habere triumphans.
Talis bella gerit. Lacrymas pereunte latrone
Clotharius (pudet heu!) lacrymas (quis crederet?) edit,
Qui prius inſontum potuit voluiſſe Nepotum
Tergeminos iugulos. Socialia iura, fidemque
Mutaſti Natura Parens, habet iſte Nepotis
Regna, loco dulcis iam prædo Nepotis amatur:
Nondum ſumma Deus Diademata frangere nutu,
Sceptrorum & ſtatuens vel Mundi ab origine lapſus,
Regnanti in miſeros dat iura cruenta furori.
Ille tamen rapidus, qui iam magis inde veretur
Fraternam ſola Sobolem virtute nocentem,
Quod nequit in fratrem ſæuire, minora ſub atro
Pignora poſte premit, diraſque ad carceris vmbras
Damnat, inaſpectas radijs ſolaribus ædes.

Atque ita dilectis quæ Paſtor iniquus ab oris
Abſtulit, & Patrio trepidantia condidit antro,
Exponunt querulos Philomelæ pignora cantus.
Ipſe audit lacrymans morientia carmina Raptor,
Ipſaque dulciſonæ manſueſcunt ruſtica voci,
Et feſtinatæ miſerentur mœnia mortis,
At non Clotharius precibus, lacrymiſue mouetur;
Quin alias meditatus agit ſub pectore fraudes.
Fœcundam per ſe pectus, diriſque Barathri
Artibus imbutum, colubriſque nocentibus auctum.
Confeſtim rapido vorat arua iacentia curſu,
Atque vocat ſocium conamina ad effera Fratrem;
Sæpe viæ longus properantibus incidit error,
Sæpius & medijs in paſsibus aſtitit horrens,
(Inſolitum), & frænis equus ora rebellia vertit.
Funeſtata etiam ſcelerato gutture Parrhæ
Auris vtrique diù miſerumque per aera murmur
Perſonuere vlulæ, ſtrygeſque horrenda gementes,
At meditans nudis Bubo mala carmina ramis.
Quin etiam nigro crocitarunt æthere turmæ
Omnia, fatidicaque pependit ab illice Cornix;
Nec non horrificæ circum obſedere figuræ
Attonitos Reges, laruiſque immanibus vmbræ,
Quas tamen armigeri cauſas dixere furoris.
Obuia tum Cœlum dimiſit ab Axe minanti
Fulgura de ſubitis orientia nubibus, Arces
Promicuere ſacræ, populere incondita ſyluas
Claſsica mirantes, feriere & claſsica Cœlum.
At ſuper omne nefas ruituro in cœrula Phœbo

Aemu-

Aemulà fulgorem ſtatuerunt Aſtra propinquum,
Quæ tamen in tenues breuis hora reſorbuit auras.
Prætereà longæ turbata ſilentia noctis,
Lunaque ab oppoſito ſibi ſueta reſumere Fratre
Lumina, tergeminos promit non candida vultus.
Decurrunt per aperta faces, & viſus Olympus
Telluri excidium flammis inferre ſupremum.
Quique venit nitidis haud vnquam impune Dynaſtis,
Longo crine micans inter ſecat Aſtra Comete,
Sequanicaſque petens inimica cuſpide Terras:
Sueſsionum claros crudelis copia muros
(Hen nimis Vrbs mõſtris data victima fleblis!) intrant.
Dumque fores ſubeunt, moto fundamine Tellus
Viſa quati, aeriæ minitari & vertice Turres.
Quiſque pauore riget, formidatoſque tumultus
Naturæ ſuprema putat, ſed cœca timores
Eripit ambitio ſceleris, furiaſque miniſtrat:
Ergo iubet Procerum rectis ſuccedere Primos
Clotharius, rabidis heu pectora fida Tyrannis!
Concilium ferale ſubit, ſæuaſque curules
Implet, & ad dominos parat omnia crimina nutus.
Vtque omnes ſiluere, truci ſic voce regeſsit
Iamdudum impatiens animi illætabile virus
Clotharius, Patuere doli, nulliſque tegendus
Inſidijs Genitricis amor, quo ſæua Nepotes
Reſpicit, & ſolio Natos deturbat auito.
Et patiemur adhuc Proceres? an gaudia Martis
Perdidimus, ſi raptus Amor? num ſæua iacentes,
Imbelleſque putat, quod tela vocantia dextras

Re-

Reprimimus,nimiumque pij fera iussa veremur ?
Nec vanus nos terror agit, namque ore tulerunt
Ignaro faciles Pueri (proh dira propago!
Sed melior, dum nostra tamen custodia seruat)
Regificos illam sensus, animosque potentis
Imperij dignos monitu inspirasse recenti,
Dum cupido tandem dimittit ab vbere flentes.
Nec mites iuuere preces, en Clodius alto
Consilio tegitur, mentitaque præda latronum
Delitet in matris penetralibus abditus imis.
Proh Pietas, pro pulsa Fides! Si fidere amicis
Illa nequit Natis, Natos exhorreat hostes.
Consulite in medium, bellumne insigne mouendum,
Paxue pudenda iuuet, primumque agnoscite Patres
Plurima moturi, ne perfida Gallia Reges
Dissimulet,potiusque datis fateatur in armis.
Protinus Vmbertus,quo non reuerentior æqui
Alter in Vrbe fuit, turbisque nocentibus vnus
Absimilis geminos ita supplice voce Tyrannos
Compellat(nescit matura senecta pauores)
Ne, queso, infandas animis regalibus iras
Excipite,afflictis tutamina maxima Francis.
Dulcia Naturæ tueantur iura Parentem,
Neu nostra horrescant,fugiantque exempla Minores.
Scilicet in nostras quamuis Victoria partes
Inclinet,miserumque sequatur Gloria Martem,
Heu qualis victa tandem Genitrice superstes
Gloria? Proh sæuæ monumenta immania laudis!
Nondum cognatum luit impia Gallia crimen

In

In Reges armata ſuos? nondumque ſupremis
Caſtigata malis didicit bona iura tueri?
Fracta ſed vnde Fides? An non quoque maior agebat
Incuſtoditos Syluæ per inhoſpita Fratres?
Et niſi prædonum circunueniſſet euntem
Turba ferox, vobis propiori in ſede micaret:
Quod ſi ſublimes Regina Nepotibus olim
Blanda dedit ſenſus, animoſque infudit, & artes,
Queis Patris inuigilent ſceptro, quos veſtra per aſtus
Regna petit? Duris ah mittite tela lacertis,
Proijcite arma Duces, Superoſque timete minantes.
Pluta loqueretur, iuſſis niſi cominus haſtis
Irrueret furioſa Phalanx, traheretque reuinctum
Clotharij ad nutus, communi voce rebellis
Dicitur Vmbertus, Patriæque, Ducumque, ſuique.
Non ſecus ingentis dum compita circuit Vrbis,
Miraturque domos Peregrinus, & Aſtra laceſſit
Lumine continuo, tum ſi pede læſa iacentis
Ora canis, rabidæque ciet mala iurgia vocis,
Confeſtim exciti paſſim de ſedibus omnes
Infremuere Canes, circumſtat vbique cauentem
Latrantum iurata Cohors, linguiſque coronat.
Ille licet fractus ſenio, tamen integer alta
Mente viget, rabiem ſic ludere adorſus inanem.
Hæc mihi pæna breuis, mox carcere liber abibo
De gemino, & ſummis (ſpes hæc mihi) redditus Aſtris
Deſpiciam Gallos feralia bella gerentes.
Hei mihi quos gemitus? quæ funera? quanta ſonanti
Segnis Arar Rhodano dabis æquora, quanta cruoris?

Lu-

Luctibus in medijs felix Ego, perdidit omne
In me ius Fortuna ſuum, mox debita dicar
Victima Naturæ, licet irruat enſis euntem
Impellens animam, properataque fata cruentet:
Hæc inter tenebris trahitur damnatus acerbis.
Impius at Chramnes, non qui Plegetontis ab atris
Venit ad Aſtra vadis, digniſſimus attamen illi
Fallaces præbere habitus, moreſque nefandos,
Emiſſo gemitu, quo vel cautiſſima ludat
Pectora, Quod cari ſortem miſeratus Amici
Indoleam, fateor, (dextraque morante remiſſos
Abſtergit vultus, teſteſque doloris iniquas)
Nam quis conſilijs prudentibus aptior? aut quis
Vnquam ſollicita componere doctior arte
Ciuiles fremitus? Tamen heu iuſtiſsiſima teſtor
Magnanimi mandata Ducis. Mentiſne furorem
Immiſſum rear eſse Viro? aut inuaſit Erynnis
Egregium Pectus, furijſque rebellibus auxit?
Omnia dura mihi, & longo lacrymanda paratu
Temporis; ah nimium Dominorum frete benignis
Mentibus, & nimio ſublimis Amice fauore.
Ecquis enim (audiſtis?) ſummo temerarius auſit
Libera verba Duci, rabiemque effundere cordis?
Iſne animi famulantis honos? ita ſacra veremur
Regnantum capita, & Regum ſignantia Regem?
Iſne auſus geminis indicere Regibus, arma
Proijciant, Cœlique minas portendere Gallis,
Intempeſtiuæ magnus Pietatiſ Amator?
Quòd ſi iuſta pijs ſtringamus tela lacertis

Firmatura Ducum ſolium, Patriæque ſalutem,
Nunquid Poſteritas ſcelerata (ait ille) ſuorum
Horreſcent exempla Patrum? nos ſcilicet Vrbis
Olim Orbis Dominæ monumenta infauſta vocamus,
Quod libertatem, faſceſque receperit audax
Brutus, & vltores in propria ſtrinxerit enſes
Viſcera? non ſolitis ſublimia ſceptra reguntur
Legibus, eſt vulgi communi iure teneri.
Nec ſemper ſcelus eſt materno ſanguine ferrum
Tingere, ſi tamen eſt ſcelerum mens tollere cauſa:
Nunquid & Alcmæon meritæ fraudandus honore
Laudis ob Eryphilem vltori mucrone ſubactam?
Digna quidem infandi merces, pretiumque monilis.
Nõne trucis damnamus adhuc monumenta Parentis
Inceſtare, Nino thalamos recubante verendos
Olim auſæ? fuit ille pius, qui funere Matris
Abſoluit proprium Superumq; hominumq; pudorem
At pœnas nimij Antipatro iugulata fauoris
Dat Theſsalonice, Nato licèt illa faueret.
Quid ſi enutriſſet Natorum in ſceptra Nepotes?
Non tamen armatis circundare millibus optant
Reginam Nati, ſæuiſue impendere fatis,
Quo vixere, vterum, nec (ſi bene nouimus ambos
Inſignes Pietate viros, Matremque colentes)
Hæc dubitare decet. Creſcet, maiorque nitebit
In debellatis generoſa modeſtia Regnis,
Iuraque in edomitos Ducibus parcentibus addent
Grande decus, quid enim pietas ignaua meretur?
Stabat ab infami pendens Clotharius ore,

Verbaque plaudenti laudabat ſingula nutu;
Aſſenſere omnes ſceleri, belloque nocentes
Vel iuſſo fecere manus. At cauta Rutenus
Inuenta exagitat, pacique ſequeſter, & armis;
Hic in bella ferox ſemper, nulliq; ſecundus
Indomita virtute ruit, ſed cautus ad iras,
Conſilioque pari moderatur in armà furentes;
Non belli decreta amens iam deprecer, olim
Regibus, & pleno multum laudata Senatu:
Sed iuſtas exoro moras, queis tela paratas
Inueniant dextras, animoſq; potentia adæquet.
Quidni ante ad magnā rapidus modo Nuntius Aulā
Mittitur, vt Clodi reditus à Matre repoſcat?
Quod Pueros tandem ſi ius habeamus in omnēs,
Admotæque preces conamina bellica vincant;
En ſine profuſo victoria ſanguine pàrta eſt:
Sin minus, infauſtos armato milite campos,
Et merito hoſtiles pulſabimus ariete muros:
Semper ad arma manus ruet opportuna. Fauentēs
Vltima dicta probant omnes. Rex ergo ſuperbis
Deſcendit ſolijs, & regia limina viſens
Hinc Fratrem, ſimul hinc læuum iubet ire Rutenum;
Tum tacitos, queis primæuum reuocare Nepotem
Quærat, ab his, poſcitq; modos, & pectora tentat:
At, quem nulla latent fraudum inſtrumenta, Rutenus,
Eſt mihi ſat fidei per crebra pericula notæ
Arſetes famulus, mea iuſſa haud gnarus ab Vrbe
Pariſios perferre, dolis non aptius vllum
Pectus, & ambroſijs cautos eludere dictis.

Au-

Audax ille quidem, ſed fraudi audacia cedit.
Ipſe ſonos mutat vocis, faciemque, habitumque
Subdolus, & quocumque animus diſcrimine maior.
Annuit, aſſenſuque cito Clotharius vrget
Cunctantem, nutuque intercidit orſa loquentis.
Ille vocatus adeſt, Dominique, & maxima Regis
Iuſſa ſubit gaudens, riſuque proterua ſagaci
Ora notans, Actutùm aderit tibi Clodius, inquit,
Et numerùm pariter, Patruorum & vota replebit,
Si tamen illum Auiæ penetralia certa recondent.
Ibo diu, tectiſque vagus, ſaltemque negatum
Lumine ſollicito, Regum tibi maxime, prodam.
Vix hæc, & iuſſos legit ille repente recurſus.

CLODIADOS
LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

CVrſu, vulneribuſque grauis Clodius corruit. Inuocat Erminius Clodouecum, qui nepoti præſens opitulatur, & Regnis quam primum excedere hortatur. Sumit paſtoricios induitus Clodius cum Erminio. Hic ad Vrbem diſcedit itineri neceſſaria paraturus. Ille à Iuuene Paſtore canere iuſſo, Amorum infortunia colligit. Inuenit Vrbem Erminius tumultu confertam. Porrò Numitor ipſius Natus, in nemus, vbi prædones ceciderant, ſucceſſerat, & inuento Ramyri trunco, parte Clodianæ veſtis cooperto, Clodium credidit, & Lutetiam aſportauit. Sed ſuperuenit Endromydè tectus, & facie ex induſtria turpata Erminius, & Ramyri indicia, quem à vulnere cognoſcit, exquirit. Incidit manu in paginam, qua Clotharius iuſſa dabat Ramyro, vt noctu cædem tentaret. Clothilda verò, quæ dolore preſſa defecerat, in ſe redit, & Legatum iterum Clodij reditum poſcentem, minis exterritum fugat. Erminius propero greſſu in ſuum ſe Palatium confert, & armis, & Equo, quo Clodius vti ſueuerat, recepto, exit ad Principem. Fit certior de Clodiani Equi raptu. Numitor, & quia ſonipes nullũ niſi Clodiũ Seſſorem patiebatur, Clodium ipſum fuiſſe ratus, veſtigia legit. At Erminius ad maris littus cum Principe iter habet, & nauim, quæ iuſſa præſtolabatur, ingreſſus, vela explicat. Superuenit Numitor, & Puppim agnoſcit recedentem, ſed quia iam proceſſerat, inobſeruatus regreditur, ipſe quoque nauim inſtructurus, & Clodium, Patremque ſecuturus.

PALLIDVS interea, nimiſque laboribus impar
Clodius exactæ traduxerat otia noctis,
Heu nimio languore labans, quem vulnera, iterque
Prolixum, cæcumque facit. Tandem alma iugales
Purpureos Aurora quatit, miſerataque feſſum
Demittit ſyluas penetrabile lumen in imas.
Sed tamen ambiguum, quod figere tuta per vmbras

Edo-

Edoceat ſaltem tacitas veſtigia. Neſcit,
Quæ regio errantes habeat, quamuiſque locorum,
Expertuſque plagæ vicini luminis aptam
Implorat melioris opem, Solemque laceſſit
Erminius, dulcemque gemens miſeratur Alumnum.
Denique Phœbus adeſt, ſolitoque nitentior almum
Exerit ore diem, feſſoſque errore viarum
Dux pius ire docet. Facilis patet exitus alto
E nemore, & campo latè potiuntur aperto.
Tum demum Fratrum meminit, Comitique repoſcit
Clodius abreptos, ſperataque ad oſcula anhelat.
Ille nihil contra, ſed mox, iterumque rogatus
Iamdudum titubat, promiſſaque triſtis, & æger
Heu vanis reſponſa tenet cunctantia verbis.
Protinus ancipitem ſenſit, maioraque veris
Clodius exitijs timuit, non amplius audet
Scitari, fallique cupit, tum corde dolorem
Comprimit, & tacito lacerantur pectora morſu.
At vix exiguum curſu confecerat æquor
Languidus, effuſo gemitu, dolor aggrauat, inquit,
Viſcera crudelis, tenebræ per lumina ſurgunt:
Vos ſequor, innocui Fratres; ſimul ore petiſset,
Si procul Erminius ſtererat, moribundus arenam.
Talis in Elæos deiecit ab æthere Campos
Bellerophon vaga membra volans, duxitque ruinam
Theſſalico diſcuſsus equo, fugit obuia Tellus,
Siue poteſt, ne crimen agat, fugiſſe videri.
At comes infelix, cui nil medicamina parent;
Tum primum inualida, ad Cœlum pia lumina tollens,

Quis

Quis nunc Pœonias morienti admiſceat herbãs,
Et medica leuet arte malum? Tu, maxime cuſtos
Clodoueu, Gallos, magnumque tuere nepotem.
Dum nullam ſupereſſe vides ex arte medentis
Spem vitæ, & miſero quodcumque leuamen ademptum:
Audijt ille preces, Cœlo micuere ſereno
Fulgura, & immenſo circundata lumine nubes
Vitam, & Auum Iuueni vehit officioſa iacenti.
Non qualis ſolio quondam dare iura potenti
Sueuerat, & ſertum, ſceptrumque micare ſuperbum,
Sed maior ſtat forma Duci. Cœleſtia cingunt
Lumina cæſariem, nitor ingens corpore toto
Exit, inexhauſtis circumfluus vndique riuis,
Ampullamque manu præfert, ſimul hæc ſuperaddit.
Supremi quondam, quæ prouida dextra Tonantis
Demſit noſtris æterna opobalſama Regnis,
Illa eadem ſæuis dat iuſta leuamina plagis.
Et ſimul Erminio vas nobile porrigit. Ille
Impiger exurgit genibus, victoque pauore
Vulnera crebra fouet, dum verba nouiſſima mandat
Clodoueus, Tibi fide comes ſatis apta dabuntur,
Præmia, dum Terræ de carcere lœtus abibis,
Securoque premes rutilantia Sydera greſsu.
At quæcumque tuis præſtare miſerrima poſſit
Tellus, parua quidem meritis, tibi præmia reddat
Clodius, heu noſtræ ſpes maxima, & vnica Gentis.
Tu durum virtutis iter, quod ducit ad Aſtra
Proſequere, ò patruis iuſtiſſime terror iniquis.
Fratribus haud timeas caris, quos ſedula Cœli

Cũra

Cura tegit, felix queis Numen deſtinat æuum.
Te manet innumeri pondus crudele laboris,
Horrida bella vocant, ſed grande per omnia ſerua
Pectus, Auus lateri Cuſtos hærebit amato.
Nec miſeros Populos, neu ſquallida regna reuiſas
Tænarijs infecta rogis, dum purior aer
Deleat infandæ conamina turpia labis,
Heu fuge luctificas male fidi littoris oras.
Multa ſalum, ſed plura ſolum diſcrimina tendit
In tua fata, Nepos, tamen illa ſubacta iacebunt,
Virtutique tuæ cumulabūnt victa triumphos.
Hæc ait, & tenues cum lumine raptus in auras
Orātem, & poſitis genibus quamplura precan tem
Deſerit attonitum, viſuſque nitoribus orbat.
Clodius aſt hilari ſic voce ſecutus euntem.
Quò fugis ò, quem Diue fugis? tibi reddere voces
Anne indignus Ego? te iudice, & auſpice pugnas
Quas timeam? iam ſpōte malis, multiſque paratum
Aerumnis geſto, promptumque ad ſydera pectus.
Quò Fratres abiere tamen? quæ Terra vagantes,
(Erminiumque vocat) iam diſtinet? ede precanti
Siue comes comiti, Regi ſiue ede iubenti.
Nil illis metuo, ſi Numen ab Axe tuetur,
Si defendit Auus. Tunc ille exordia narrat
Prima fugæ, & pueros Patruorum ad mænia ductos.
At Princeps nutus veritus violare ſupernos
Corde premit gemitum, ſeſequ e ad gaudia cogit
Importuna licet; cum ruſtica dulcis auenæ
Carmina ſollicitas feriunt modulatibus aures.

Huc

Huc lentis gradiuntur Equis, canumqne ſub vmbra
Acclinem, & ſegni texentem vimmea dextra
Vaſa ſenem ſpectant; pecora ille vagantia paſcit,
Atque trium laudat puerum modulamina nutu:
Hic Iuuenis gemuit, viliſque ea gaudia ſortis
Inuidit, tum forte memor, fratrumque, ſuique
Contempſit nitidi regalia fulgura ſceptri.
Horruit ardentes armorum turba nitores,
Inſolitoſque viros, ſed Clodius ore ſalutem
Dulciſono iubet, & ſolatur voce timores;
Proſequere incæptos, nihil æra coruſca minantur,
Gens dilecta Polo calamique, manuſque labores.
Quin feſſos, ſi iam Pietas his regnat in oris,
Excipe ſub Patrio facilis precor, excipe tecto.
Tuque prior miſerere Pater, quem longa, piumque,
Expertumque malis ætas facit. Axe benigno
Sic tua tergemini ſuperent tibi tempora Nati.
Dixerat, & fletu, quem tum retinere parabat,
Inuitæ maduere genæ. Sociauit amicas
Longœuus Paſtor lacrymas, imitatus amores
In caput ignotum patrios: ſuccedere tectis
Inde rogat modicis, feſſaſque reſumere vires.
Hic vobis ſecura quies, nulloque tumultu
Perturbata domus, nec dant mea vaſa venenum
Impia mellifluum, quod iniquo abſumitur auro:
Ponite ſublimem faſtum, menteſque ſuperbas
(Nam magnos frons ipſa docet) rebuſque venite
Pauperibus mites. Tum parua mapalia primus
Ingreditur, ducitque viros, & frondibus ambos

Com-

Componit ſtratis, epulaſque miniſtrat egẽnas.
Obſtupet ingentem Erminius Paſtoris amorem,
Atque ait, Huc igitur procul Vrbibus alma relictis
Ceſſiſti Pietas, puros cultura Penates?
Hos ne lares culpa vacuos contènta repleſti?
His latèas, donec melius voluentibus æuum
Syderibus, tũtis inuiſere greſſibus Vrbes
Fas ſit, & abrepti moderamina poſcere ſceptri;
Aſt tu care Pater, facit hoc te nomine dignum
Inſignis Pietas (miſeris ſi gratia reſtat)
Annue, & Endromidem laceram, quæ ſola ſalutem
Regalis Capitis, poſitis modo continet armis,
Porrige, promerito nec inanis munere abibis,
Pariſios qui frænat, adeſt, en illa perempti
Prima propago Ducis. Magni reuerentia Regis
Admonuit trepidum, docuitque aſſurgere pronum,
Sed vetuit Princeps, & amica ſilentia iuſsit.
Pauperis ille caſæ torto de Canabe Veſtes
Exponit, Gazaſque rudes, ait, omnia ſumant,
Si iuuat, & fundit, totamque euiſcerat Arcam.
Dein laceros Iuueni indutus proponit, & oſtrum
Erminius regale rogat dimittere, tali
Affatu, ſic inſignes, precor, indue vultus,
Communis ſi cara ſalus, ſi Gallia cordi,
Si Regno ſeruare Ducem, fratreſque tueri
Alta mente ſedet captos, Natiſque Parentem
Obſeſsam, audito morituram funere Clodi.
Ne renue indutus humiles, te digna reporto
Dum tibi ab Vrbe redux arma ære rigentia, opeſque,

Cornipedemq; tuum. Quid frontem nubila condunt,
Quid turbaris adhuc? Cui Clodius, Anne remotam
Inuisa regionem Auia, Dux optime, quæram,
Inque salutatam linquam, nostræque salutis
Incertam? Quin ipse tibi comes additus Vrbem
Rex profugus repetam, dabo verba nouissima Matri,
Extremumque vale. Casus ità fortior omnes
Aggrediar, visusque auidos expletus abibo.
Tum vero Erminius victos pietate resoluit
In lacrymas oculos, subijt Numitoris imago
Dulcis, & in mentem peruasit tota paternam.
Condit at internum simulata fronte dolorem;
Obiectisque tegens lacrymas indutibus inquit:
Quo moriture ruis? vel quæ præsentibus audes
Rebus in aduerso nimium temeraria fato?
Quod si sub vili per compita nota latere
Speraste te posse toga, spes irrita mulcet:
Emicat è spolijs agrestibus, atque fatetur,
Eluso regale situ frons regia pectus,
Falleris incauta Iuuenis pietate, bonumque
Ah nimium contemnis Auum. Tibi prima minatur,
Sola tibi Genitrix, nullusque nocentior hostis
Clothildæ quam dulcis Amor. Nam fraude, nouisque
Natorum insidijs circum obsita rursus, amatum
In caput infelix renouata pericula mittet;
Ipsa fugam nobis redeuntibus, ipsa fidelem
Sæpius Erminium sæclo meliore probabit,
Nec si nostra locum meruissent dicta, fidemque,
Nunc gemerent miseri scelerato in Carcere Fratres.

Tem-

Temporibus ſeruit ſapiens. Compeſcuit æſtum
Mentis ad hæc Princeps, immaturumque furorem.
Sic quoque tergeminis Leo ſubditus vndiq; clauſtris
Perfurit, audita longos genitrice per agros,
Cancelloſque ferox incaſſum mandit ahenos,
Si queat optata per prata virentia tandem
Libertate frui, generoſam & lambere matrem,
At ſi perdomitam virga quatiente magiſter
Frontem agat, euicto iam detumet ira furore,
Et vinclis haud ipſe ſui memor incubat ipſis.
Obtegitur rigido facilis velamine Princeps:
Aulam ita caula facit, negle&taque gauſapa ſeruat
Oſtri (proh facinus) ſupremum inſigne Sicambri.
Exin Erminium ſtimulat, redituſque citatos
Imperat; ille oculis rapitur comitantibus Euro
Ocyor, & votis inſtat præſentibus Vrbi.
Rurſus iniqua iuuat nemora, infameſque receſſus
Scrutari, & ſyluæ compendia cœca malignæ.
Sed deſiderijs iam pronior æthere iuſtis
Arriſit, fauitque Deus, campo ergo reuiſo;
Quo cecidit ſcelerata Phalanx, ſuccedit apertæ
Sollicitus luci, celſam procul aſpicit Vrbem,
Lumine mox proprias deſignat proximus Arces.
Oſtia magna ſubit, vaſto ſed te&a tumultu
Cunc&a fremunt, paſsimque datis ſtant agmina ſignis.
Armatum ſed enim ſuperatum milite Regem
Oppetijſe putant, & tela vltricia ia&ant.
Fama quidem ancipiti narrauerat ordine caſus,
At nuſquam certus cladis peruenerat auctor.

Scilicet in Natos hæc concita bella rebelles
Credidit, & gratis paulum dubitauit in armis,
An bellatorem populis reuocaret Alumnum.
Ambiguus sed sortis adhuc festinat ad Aulam
Suspensos gressus: vlulatibus illa remugit
Percita non solitis, vicinumque æthera pulsat,
Ast vbi sollicito tetigit summa atria passu,
Luminibus facies superastitit horrida. Fusco
Reginam solio lacrymis formosa rigantem
Ora videt, medijsque Virum congressibus vnum
Improba anhelanti mendacia voce prementem.
Nouit enim fraudes, stupuit, gemuitque sub alto
Pectore prolapsi ludibria tristia Regni.
At fraudum molitor atrox, qui iussa superbi
Insidiosa Ducis tulerat, sic verba resoluit;
Regum ignosce Parens, sacri si nuntius ausim
Pectoris heu gemitum iussus renouare recentem:
An feriant geminos sortis crudelia Reges
Tentamenta, tuo facilis metire dolore.
Hi, nisi magnanimus confirmet amantia tandem
Clodius ora redux, nullo solamine pectus,
(Tantus amor, tãtusque dolor) mentemue leuabunt.
Nam trepidos nuper Pueros excepit amanti
Natus vterque sinu, qui prælia dura ferentem
Deseruere fuga Fratrem. Meliora dolenti
Sperauit Regina animo, collumque reflexit
In latus, atque breui docuit se viuere motu.
Non secus & raptis cum fætibus orba cadebat
Infelix Niobe, & saxum lethale subibat.

Iam-

Iamque genu, iam crura rigent, iã candida marmor
Pulchrius haud ideò, generoſaque colla tenebat.
Spõte lacertus hebet, niueaſque (heu flebile mõſtrum)
Miratur riguiſſe manus, ſtat denique ſolum,
Quod puduit ſupereſſe caput, vitæque fugacis
Lacryma teſtis adeſt, & dum licet, exit in amnes.
Nuntius inde ſubit, numeroſa in ſtrage latronum
Nullibi formoſi patuere inſignia vultus.
Talia dum loquitur populi frendentis ad Aulam
Venerat horrendus fremitus, bellumque petebat.
Iamque gradu Numitor limen ſuperabat hianti,
Truncatumque virum magno clamore ferebat,
Scilicet immanis corpus ferale Ramyri
In media reperit commixtum ſtrage ſuorum,
Qui dum dira ſacris intendit vulnera membris
Regalis Iuuenis, pulchrum perſtrinxit iniquo
Enſe femur, partemque ſcidit velaminis aurei.
Hoc ſuper extinctum cecidit, potuitque Ramyri
Ignotum (ClodI decorari nomine) buſtum.
Audijt extremas voces, & nouimus, inquit,
Nullibi formoſi patuiſſe inſignia vultus.
Vſque adeone parum Iuuenem fudiſſe cruenta
Cæde ſacrum? rabidis poterat ſatis eſſe Tyrannis;
At ſceleri petiere fidem, buſtoque verendo
Crudeles rapuere caput; Quin dixit Arator
Infames veniſſe globos, quamuiſque feroci
Effugeret virtute necem, ceſſiſſe recenti
Magnanimum turbæ, quã Rex minor alter agebat.
Ipſe caput, quo non vidit formoſius æther,

Ipſe

Ipſe caput geſſit, truncumque per æquora buſtum
Deſeruit, Tam dura igitur, fugiendaque vobis
Cura fuit totum diro ſeruare Cadauer
Clothario? quin triſte ſcelus potuiſſe latere
Speraſtis miſeri? Dominum ſed pone peremptum
Fleuit equus, ſceleriſque trucis pius aſtitit index.
Quid clamydem laceraſſe iuuat, nudumque volucri
Permiſiſſe fami? liquiſtis fruſta decoræ
Veſtis, & heu cædis clara argumenta nefandæ;
Nec caro de Patre queror, quem iuncta coercent
Vincla ſuis Dominis, felicia vincula, collo
Sed mutanda meo; ſic fatur, & vndique tectis
Excitat in magnis horrenda ſilentia mæror:
Nam Regina animum dimiſerat ore vagantem,
Et moritura oculos ſperata in morte natantes
Voluebat, tamen in medio languore nitebat
Maieſtatis apex, formæque abeuntis honores;
Sic ſtetit Hybleos florum Regina per agros,
Collaque terribili ſuperata Aquilone remiſit.
Illam turba ſimul comitatur florea, totum
Chloridis Imperium, Domina moriente, recumbit.
Sic omnes tremuere viri, ſic iuſtus in ora
Pallor fida ruit per ſubdita pectora ſurgens.
Circumſtant trepido famularum brachia nexu,
Et latice ora rigant, lacrymiſque, animamq, fugacem
Voce, manuque vocant, gremio dum vincula ſoluunt.
Nec minus ignotum plebes numeroſa cadauer
Circumit, atque fidem lacrymis teſtatur obortis;
Ante alios venit Erminius, quem lurida cœno

Iam

Iam ſatis ora tegunt, ſyluæque fidelis amictus;
Ne vana deluſa fide Regina dolores
Duceret inſanos, ſcrutatur ſiqua Ramyri
Signa forent, cum forte manum ſinuata papyrus
Impulit, extremi qua conſcia pectoris exit
In latus, & pronos it linea veſtis ad armos;
Hanc rapit, & reſerat, mediaque nefanda Ramyri
Nomina fronte legit, Numitorique exhibet ipſi,
Vrbanæ neſcire monens commercia linguæ.
Neſcius ille doli; furijſque agitatus amoris
Accipit obiectum dextra fugiente volumen,
Quo graſſatori mandata cruenta nefando
Clotharius dederat, tum lumine viſa rapaci
Sæpe iterat, rurſuſque legit, namque illa Tyranni
Edebant mentem, ſimul ordine cuncta canebant.
Iamque pijs Comitum Regina vocata vigebat
Obſequijs, carumque imbelli voce Nepotem,
Sed Natum miſeranda vocat, tum lætior alto
Acceſſit Numitor ſolio, Quin maxima, dixit,
Enitet hinc Virtus. Quæ vulnera cernimus amplis
Viribus acta, manus, Clodique lacertus adegit.
Iam nondum patuit Mundi perijſſe nitorem.
An manibus certe infandis euaſerit Heros,
Fraterniſue pares tulerit ceruice catenas,
Scrutandum ferro eſt. Noto Clothilda Ramyro
Reſpirauit amans, & proditionis amicam
Suſcepit manibus teſtem, lectumque repente
Pœnituit legiſſe ſcelus, vultuque refugit.
Tum ſic Arſeti, Licet improba dicta nefandis

Te-

Texeris insidijs, licet atri munera lethi
Triste caput merearis, abi, quo dignior illis
Nuncius accedas, neu pectora fida meorum
Intuitu temerata truci mihi perfida surgant.
Hæc Ducibus mea iussa refer, nam dicere Natos
Horreo, non alia deprendere amantia fraude
Corda quidem poterant; verum simulatus Amorem
Ludere solus Amor potis est. Sed Pignora reddant
Iam meliora mihi, quando se reddere Natos,
Et pia Naturæ venerari iura recusant.
Respice frendentes populos, bellumque petentes,
Cerne minas, & cerne acies iniussa parare
Arma. Heu Clothildæ spectanda in funera viuax
Spiritus! ò nimium dilecti Coniugis olim
Felices obitus; meruistis crimina lucis
Effugere inuisæ, Natorum & bella furentum.
Ille tremens haud plura subit, nam sueta reliquit
Frons inuicta Virum, ignotosque audacia nouit
Cauta metus, rapit inde pedem, quamuisque citato
Se cursu intulerit, tamen Vrbe citatior exit.
Iam verò Erminius sub Patria tecta, laresque
Venerat eximios inter latitantia Terræ
Viscera, secretus penetralia ad intima sedis
Quà patet accessus, nulli via cognita menti;
Tum patrias expromit opes, gemmisque grauatur
Grande latus, tunc arma tholis, quæ plurima fulgent
Deligit, & caro meliora assignat Alumno.
Protinus hinc imas tacitus descendit ad ædes,
Et stabula alta petit. Diuersæ armenta fremebant

Hinc,

Hinc illinc ſobolis, gemmataque fræna terebant;
Sed reliquos inter caput argutum extulit vnus
Hinnitu impatiente micans, atque aure Pyrous.
Thracia progenies, rapido ſed fulgida curſu
Nomina promeruit, non hunc per aperta volantem
Compita, ſeu Zephyrus, Cauruſue, Notuſue præiret.
Et ſi Phœbeis adiungeret ora lupatis
Mutaret Natura locum, lucemque caducam
Ingemeret citius, medij quam callis adeſſent
Cunctantes horæ. Nullius pondera paſſus
Hactenus, ingenti niſi Clodius vrgeat arte,
Et doceat mandata ſequi, vel iuſſibus olim
Reginæ quoties fidum ſibi pectus adibat,
Seu ſponte Erminij cupidus. Rapit ocyus illum
Securus, nam dum magni tonuere tumultus,
Libera liquerunt famulares atria turbæ;
Atque ait, Heu noſtri gratiſſima gaudia Regis
Infelix Sonipes, non hos exercite in vſus.
Si tibi cara ſalus Domini communis, ad illum
Me ducente veni, faciliſque hæc ſuſcipe fræna.
Audijt, & magnis humectans lumina guttis
Ora libens laxat, promiſſaque nomina laudat,
Dum paret. Tegit ille nigro plaudentia amictu
Terga, nigris phaleris ſuper arma nigrantia ſiſtit:
Par color vrgenti fato. Premit inde volentem
Inſiliens, tectumque fugit, portiſque propinquat.
Triſtibus interea tumulis immane cadauer
Damnatur, viduaque gemit ceruice ruinam
Saxorum ingentem, quodque horrida prælia ſolum

In caput, infamemque ausum traxisse cateruam,
Discerptum obruitur populo data præda furenti.
At Numitor, cui turpe nimis producere Vitæ
Tædia, ni domino prius, & Genitore recepto,
Seu Patrem, Dominumque sequi, seu funera gestit:
Dumque has exagitat mæsto sub pectore curas,
En famulus dubias properans exponit ad aures,
Et regalis equi raptum, nullique patentem,
Ignoto ductore, fugam. Turbata susurris
Vrbs culpam minuit, potuitque auertere pœnas:
Tum Iuuenis, cui mente subit, quam turbidus ira,
Quamque ferox reliquis, sesso ni Rege, Pyrous,
Me miserum, exclamat, qua te regione sequemur?
Quos fugis? hosne tuus Numitor, dum Regna relinquis
Expectet reditus? mediæque inglorius Vrbi
Audeat ingratos, populisque ostendere vultus?
Dum tu fata fugis miserabilis exul, & Orbem
(Proh pudor, & Patrui tantum potuere) vagaris?
Iamque sequor, tecumue redux, sociusue laboris.
Talia dicta ferox regali in limine passim
Vociferans, cursum disiecta per agmina tendit;
Impellitque viros. Nunquam truculentius iras
Vulnificas acuit, cui Pastor abegit ab antris,
Illusitque plagis fortes latitantibus armos
Dilectæ Comitis, Leo Caspius, euolat audax,
Decernitque mori, seu iunctus in antra reuerti.
Inuisæ sed longa moræ iam Clodius odit
Tempora, & Erminium fugientibus imputat aruis.
Quin age, dum reditus minus anxia pectora lentus

Tor-

Torqueat, æſtiuis molire caloribus, inquit,
Dulces inſidias, blandoque in carmina Gnatos
Extimula nutu, Pater optime. Tenrat amicas
Patre iubente fides Gnatorum maximus æuo,
Sed dubitat quodnam gracili ſit carmen auenæ
Aptius ante Ducem, potior ſententia tandem
Suggerit armatæ perquirere geſta cateruæ.
Additur, ipſe ſuos quod ſic exponit Amores,
Atque animi tormenta leuat, dum funera caræ
Virginis, & fatum memorat gemebundus acerbum.
Tum prius explicitis per hiulca foramina velox
Digreditur digitis, lacrymiſque ad ſingula fuſis,
Singula dum meminit, ſic ora dolentia ſoluit.
Quo me cara vocas? animæ quo maxime noſtræ
Ante amor, inde dolor, trahis ad tua funera mentem?
Hei mihi florenti tu Virgo canenda decore,
Simplicibus veneranda animis, & corde pudico
Elicis ad ſolitos miſerabilis Aelia quæſtus.
Quæ pulchros tibi Virgo dolos, quæ tradidit artes?
Anne Thoanthææ comes indiuiſa Dianæ
Venatrix Opis, ſimplexque audacibus orſis
Impleuit pectus, mortique occurrere iuſsit
Inſolitæ luſura Procos? Tu ſcilicet Orbi,
Stirpe quod ex humili producta, ignota quieſcis,
Te magnam virtute tamen, te ingentibus auſis
Spectandam ſuper aſtra facis, populiſque remotis
Sit licet obſcurum, tamen eſt venerabile nomen.
Improba Burgundi cum ferueret ira rebellis
Sequanicas populata plagas, rabidoque flagello

Incuteret miſeras per proxima Regna ruinas.
Virgo decor noſtri nunquam delebilis æui,
Virgineæ ſublimis honos, & pompa cateruæ,
Certæ animæ pars prima meæ, mea ſola voluptas,
Heu quondam patria, ſocijs procul inde fugatis,
Reſtabat miſeranda domo; ſecluſa pudori,
Hinc, atque inde fuga eſt, furijs deuota nefandis;
Actutum peritura gemit, ſpectanda decoræ
Igne genæ, & primæ tum flore coruſca iuuentæ.
Sed ſubito (ah dirum fatum) præuenta tumultu
Martis cara prius quam mænia linqueret exul,
Summaque deſertis infigeret oſcula portis.
Quid faciat pudor infelix, ne præda nocentum
Procumbat? ſæuiſne manu cadat violata ſub armis,
Immemor ipſa ſui? ſpretoue proterua pudore
Miſceat ore preces per tela nefanda, per hoſtes?
En diro compulſa metu rapit inde furentem
Cœca gradum, nil certa, ſui niſi certa pericli.
Quo raperis Virgo? diſcrimina turpia quæris
Compita percurrens, tacitas quin cauta latebras
Scrutare, hinc niuei ſecura pudoris abibis.
Ad delubra gradum? neſciſne miſerrima, neſcis;
Prima hæc militibus ſpolianda iacere profanis.
Iamque cohors crudelis adeſt, Date tela ſalutem,
Tela dabunt, inquit, vultuque ad ſydera verſo,
Cultelloque armata manum, quid demoror vltra,
Anne pudicitiæ iam proxima fata repoſco?
Quin mea fata prius: Mors ò ſuccurre relictæ,
Mors miſeris ſecura quies, gremioque fideli

Exci-

Excipe, ne ſcelus excipiat. Vos cara valete
Mænia, Io mater, dulceſque valete Penates.
Hæc inter pectus velamine detegit, enſem
Quo magis impellat, limenque recludat acerbum.
Tunc magnum irradians Templi de culmine læuo
Illuxit fulgur, voxque edita compulit aures.
Ne pete Virgineum ferro libare cruorem;
Parce pio ſceleri, patet altera ſemita vitæ.
His tantum emiſſis, radiuſque, ſonuſque receſſit.
Srat Fani in medio, qua lucida pegmata ſurgunt,
Apt a cadaueribus moles, tum forte miniſter
Extulerat miſerum, & tumulis mandauerat atris.
Vix hanc ſuſpexit, cum Numine plena ſecundo,
En, ait, illa meæ penetralia prompta ſaluti.
Nec plura, & tacito commiſit membra feretro.
Tum tectura dolos, furtum tectura pudicum
Obluctantem animam sub auaris naribus actam
Preſsit, & immotos tenet imus anhelitus artus.
Aude Virgo animis, hæc atria ſquallida Mortis
Dudum aliquid felicis habent, Vos oro tenebræ,
Queis latitat, ſeruate piam, manibuſque proteruis
Eripite inſontem, ſocijſque remittite caſtam.
Bacchantum interea rabies ſcelerata luporum,
Luxurieſque inimica, omnes rimata latebras
Virgineas inquirit oues, & diuidit iras.
Replentur terrore viæ, ſed inermis Amazon
Nil metuit ſtrepitus concurſantеſue cohortes:
Non ſecus in medio quæ conſtitit æquoris Ales,
Et certam apricis sedem delegit in vndis,

Elato

Elato ſcopuli ſecura in vertice Pontum
Deſpicit, & paruos confirmat in aere nidos;
At ſi fortè feris luctans Aquilonibus Eurus
Per mare fluctiuomos impellat ad aſtra furores,
Nil mutat volucris, nidoque immota quieto
Miratur ſubitæ molimina vana procellæ.
Diripiuntur opes Templi, ſacrumque profanat
Impia turba aurum, ſpoliatque altaria cultu.
Inde pyram furibunda fugit, nam turpe cadauer
Credidit, haud caſtæ latitantia membra puellæ.
Hactenus infenſo placuerunt fœdera Fato.
Vt prædatorum furiæ, rabiduſque furentum
Subſidit fremitus, ceu iam Capitolia victrix
Comprimat, extollit, faciemque, ſinuſque decoros,
Attonito ſtetit alta gradu, lumenque tenebris
Iam pronum, patienſque ſitus titubare coegit,
Præcipitemque dedit. Pulchram comitata ruinam
Corruit infelix moles, caput illa pudicum
Marmoribus duris illiſit, & oſſa cerebro
Miſcuit, ò ſæuo lacrymabile funus Olympo!
Ah mihi ſi miſeros humeris extollere caſus,
Sæuitiam & fati fas tunc lenire fuiſſet,
Haud modo perpetuis dira exequialia Cœlo
Obijcerem lacrymis, vidui mala gaudia voti.
Huc Volucris Phœbæa tuos, huc confer odores,
Vt dignum Aſirio conflagret honore feretrum;
Huc florum regina nitens allabere, caſtos
Delectare ſupra conſpergi Amarillidos artus;
Huc molles violæ nimbos referate caducos;

Veſter

Veſter enim nitet ecce dies, inſigne trophæum
Stat vobis, palmæque vices pia lilia præſtent;
Huc propera iam tute Pudor, nimboſque roſarum
Affer, odoratis Pudor officioſe maniplis.
Dignus amore tuo, Narciſſe miſerrime, vultus
Te manet, inſolita vinci lætabere forma.
Inuenies Hyacynthe tui ſolatia fati,
Et funus iunges, & nobile funus amabis.
Denique ſublimis ceu ſigna ſuprema triumphi
Candida Virginea decorentur lilia dextra.
At mihi ſollicitas turbet, noctesque, dieſque
Non intermiſſo plorata dolore Cupreſsus;
Et quoties miſeri deflebitur vllus amoris
Exitus, infauſtæ memorabo exordia cladis;
Sic ait, atque oculis dudum ſtillantibus amnes
Multiplicat, mæſtiſque ſolum rigat omne fluentis:
Clodius exequijs feralibus vndique mentem
Percitus, afflictum toto iam pectore Mopſum
Excipit, hoc potuit concordia dura laborum,
Vt regale humili pectus componat Amori.
Sæua nimis, fatur, tribuerunt dona Pudori
Virgineo Fortuna, & Amor, longum immo per æuum
Seruari meruiſtis adhuc, meruiſtis Amantes.
Nunquam erit, vt noſtrum, digna puer indole pectus
Effugias, non vana tuo ſolatia fato.
Et quicumque meis erroribus exitus vſquam
Acciderit, ſiue ille miſer, ſeu mitior inſtet,
In partem melioris eris. Sic fatur, & orbem,
Cui ſuperimpoſitus diffundit vbique nitores

Mul-

Multiplex Adamas, digito depromit,& offert.
Iamque viam laſsa ſonipes ceruice remenſus
Aduehit Erminium Domino, ſimul ille nitentes
Armorum indutus regali præbet Alumno.
At nondum oblitus famulatus tempora magni
Hinnit Equus iam oblitus iter, nuſquam inguine ſudor
Diſtillat, creſcuntque nouis cum viribus artus.
Adblanditur hero, pedibuſque fatigat arenam,
Ceu nouus à ſtabulis,& dulcia pondera poſcit.
Ergo piæ linquens magalia dulcia Gentis
Ægre habitus ponit viles, ægre arma lacertis
Imponit Princeps, ſuprema vbi dicta ſalutis
Interea repetit, reditumque ante omnia ſpondet.
Tunc armis inſtructi ambo dant terga paternis
Mœnibus,& Pelagi qua Sequana fertur ad oras
Contendunt celeri per recta, per inuia greſſu.
Demùm quæſitæ ſpondebant feſſa quieti
Corpora, & optati pro margine littoris ibant.
Cum procul exigua cernunt ſe mole ferentem,
Cunctantemque procul religato fune carinam.
Nec iam animis hæſere diu, nam prouidus olim
Iuſſerat Erminius famulos in littore ſummo
Ferre moras, donec feſtinus ab Vrbe rediret.
Agnoſcens igitur ſocios, finemque laboris
Mærorem minuit, Numen dein pronus adorat
Tum famulis dimittit Equum, Terræque nocenti
Vltima cum lacrymis exaggerat oſcula obortis.
Iamque viam ſocij, libertatemque petebat
Multiplici de fune Abies,& Carbaſa ventos.

Tum

Tum prima oblato figens veſtigia ponti
Clodius,& præſens tamèn ore, Vale inclyta Tellus,
O quæ depoſitum debes mihi dulce meorum.
Si reducem me cara cupis, dilecta tuere
Colla precor Fratrum, Patruorum obſiſte furori.
Tuque mihi ſemper decoranda Parentis honore
Infœlix Regina vale. Sic inquit, & Euris
Vela dari iuſſit, littuſque rudente leuari.
Arrident Zephyri fugientibus, ipſe ſecundas
Afflat Clodoueus linis volitantibus auras.
Terra procul fugiens, dubitantia lumina ludit;
Subtegiturque Salo. Celeri cum vecta veredo
Turba quatit littus, primumque tremoribus æquor:
Serus ades Numitor, dum Regis amata, Parentiſque
Irritus indeprenſa diù veſtigia quæris.
Littoris extemplo de marginè abire propinqui
Proſpectat puppim, fluctuſque ſecare recentem.
Lumina tunc incerta iuuat, vireſque miniſtrat
Artis opè, & vitri geminato à fulgure ſumit.
Chriſtallo patuere Duces ſpeculante fugaces,
Regalique gemens pariter ſub pondere Pinus.
Nec liquidas replere altis clamoribus auras
Profuit, abſorbent immites dicta procellæ.
Ipſe humero præſtat nitidis conſpectus in armis
Clodius, & galeæ dimittit fulgura Pontus,
Sole repercuſſo, radijs penetrabilis aureis
Criſtatus miſcetur apex, Cœloque minatur;
Incaſſum ſocij, Dominuſque, Paterque cietur,
Triſtes vna ſonos reſonabilis excipit Echo.

Quid facies numitor, dum vana per æthera venti
Verba ferunt? an velocem per aperta carinam
Præcipiti comiteris equo? volat illa ſecundis
Vecta notis, æquo præcedere nempe volantes
Alipedes auſura ſolo; miſer ergo redibis
Heu male quæſiti ceu perfidus aſſecla Regis?
Ah quoties curſu trans littora ſicca rapaci
Mæſtus ijt, pontoque femur demerſit aperto,
Vt laſſam vocem ſpatio propiore iuuaret.
Me quoque perque plagas, ò Puppis amica remotas,
Perque fretum extorrem, ò Rex, ò Pater optime. Laudo
Laudo fugam, Comes ipſe fugæ dum tollar in altum.
Talia iactanti procul vndique lucida nubes
Obuia luminibus, puppimque, Viroſque negauit.
Tunc iterum lacrymis dudum manantibus, Eheu,
Inquit, eunt profugis Terrarum gaudia velis.
Nec reuocare datum, nimis in mea damna ſecundæ
Adſpirant auræ. Nec ſufficit impia Regum
Quod capiti iurata manus diſcrimina tentet,
Ni noua Pontus agat, tempeſtateſque Poluſque.
Hoc ſuperi prohibete nefas, ſi faſque, piumque
Syderibus placuit, niſi fatis Regna trahuntur.
Tu tamen vſque mihi vaſtum quærere per æquor
Heu nimis indignis Princeps data meta periclis.
Inde vnum ſolamen erit, quod maxima noſtri
Pars tibi cordis adeſt, ſocios ſubitura labores,
Nam te nulla meo vis tollet iniqua Parenti.
Dixerat, vtque fugam quæſita puppe ſequatur,
Turbidus alipedem refuga ſtimulauit ab acta.

CLODIADOS
LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

PRoſequitur iter Clodius, & in Anglicam Nauim bello inſtructam incurrit. Fugæ ſpe erepta, pugnæ ſe adornat, nam Patruorum miniſtram credit. Prælium init, & Virtutis ardore percitus hoſtili Puppi ſe immittit. Tum vncus, qui vtramque Ratem colligabat, ſoluitur, & Clodiana fugæ tempore incautè vtitur, Rege deſerto. Sed ipſe iam labore, vulneribuſque confectus poſt variam hoſtium cædem, cadit. Exclamat Britannici Regis Filia Hermenegilda, ex Italia rediens, vt Herois vitæ parcatur, & vulnera curat. Iraſcitur Erminius Puppis magiſtro, vbi ſine Clodio fugiſſe perſentit. Reuerti cupientem Cæli, mariſque quies prohibet. Accipit exilij ſeriem, & cauſas à Clodio Hermenegilda, qui reciproco Amoris igne corripiuntur. Vix illo ſaluti reddito, Gallica Nauis apparet, & prælium poſcit. Bellum enim inter Gallos, & Anglos tum temporis graſſabatur. Clodius arma ſumit, ſed ante pugnam à Numitore agnoſcitur, & paruæ cymbulæ ope recipiuntur Hilares Franci Duces. Hinc Clodius abeundi veniam precatus, gemens ab Hermenegilda flente dimittitur.

AT per Santonicam felici flamine Puppis
Regia ſulcabat campos Salis Amphitritē.
Multa ſuper Regno meditans, Pueriſque relictis,
Inde ſuper Patruis verſatur mēte nefādis,
Clothildamque animo, rurſuſque, iterumque volutat.
Heu quamuis placido vertetur Iapige pacem
Neſcit, & immenſo curarum fluctuat æſtu.
Orbis enim Furiæ regali in pectore clauſæ,
Dant placidam Ventis, pelago, Cœloque quietem.
Illum indulgentem cœcis Comes irritus vmbris

Solatur, licet ipſe ſibi ſolamina poſcat.
At magis Aeoliæ nautarum mæſta procellæ
Lamenta excipiunt, magis æquoris ira tumentis;
Sic medicæ fomenta manus ab hiantibus arcens
Aeger vulneribus, tractari membra recuſat.
Non illum Syrtes, non Acroceraunia poſſint
Convulſo terrere freto, non fulminis ignes.
Quin vitæ momenta ſuæ, mutandaque nullo
Conatu ſecum relegens Fata, improbat ardens,
(Siquid Fata valent) iraſci neſcius Aſtris.
Talia languenti dum triſtis mente reuoluit,
Nuntius extremæ deſcendit ad infima Puppis,
Non procul ire Ratem vaſta ſe mole ferentem,
Et vexillorum ſinuoſa volumina latè
Attonito ſinuare Polo, rubor igneus illis,
Atque negat fidam crudelis purpura pacem.
Auro roſtra micant, auroque ſuperbit, & oſtro
Grande latus, ſecto latè candens Elephanto
Arduus Aſtra ferit malus, iunguntur eburnæ
Antemnæ, & verſo deſpectant carbaſa cornu.
Carbaſa longinqui ſtruxerunt fulgida Seres
Sidonia ditata manu, diſtinctaque gemmis.
Adſtringunt nitidum funalia ſerica malum,
Serica circumeunt totam armamenta Carinam.
Cæruleis ſignata notis, ſtratoque rubebat
Murice puppis ouans, deludebatque minantes
Aſſultu fluctus, motumque Aquilonibus æquor.
Suppeditat chriſtalla Adamas, paruaſque columnas
Chryſolito multus medio Carbunculus ambit.

Quic-

Quicquid ab aurifluis Tagus eietauit arenis,
Quicquid alit gratus pallenti gurgite Ganges,
Quicquid ab ignotis procul India mitttit Eois,
Hic pariter blando confunditur omne tumultu.
Sic Peluſiaci Regina ſuperba Canopi
Romanum velis in bella vehebat Amantem.
Erminio riguere comæ, voxque ægra refugit
Officium, vrgentis præludia triſtia Fati.
Cernit enim innumeras criſtis, auroque rigenti
Irradiare Salum Galeas, conceptaque Phæbo
Reddere terribiles clypeos mala fulgura, Paucos
Iam ſupereſſe ſibi tantis concurſibus aptos.
At non degeneri permiſerat ora pauori,
Clotharij ſæuos dum retur adeſſe miniſtros
Clodius, Aduenere, inquit, bene congrua votis
Summa pericla meis, ſed non moriemur inulti.
Me vocat hæc olim mihi pugna ſuprema paratur.
Durum erit hoc de ſede caput diuellere, non qui
Vulnere me lædet, ſed qui procul ibit, honorem,
(Si quis honos tamen eſt) cæſæ ceruicis habebit.
Sic Patruis placuiſſe iuuat. Simul aduocat enſem,
Et datus enſis adeſt, triplicique volumine thorax
Squammeus, & grauidus flammis datur aureus vmbo.
Denique fulgenti circum vndique vertice caſſis
Horrida venturæ præfert incendia pugnæ,
Et roſeos claudit, Cœlo velut inuida, vultus.
Tum Ducis exemplo pro laude paciſcitur æuum
Cætera turba, nouo mentem percuſſa Gradiuo.
Idem Amor Erminium lethi, furiæque recentes

Ex-

Extemplò exagitant,quandoque ſenilia tangunt
Corda Iuventutis ſtimuli, ſed invtile ferrum
Dum ſupereſſe videt,veteres reminiſcitur actus.
Heu nunquam infelix æui melioris honores
Optavit,ſed dum lateri maletutus inhæret
Regali Cuſtos fugitiuos increpat annos.
Interea explicitis aderat Ratis ardua ſignis,
Mole graui Puppim ceu depreſſura minorem.
Protinus vnca minax iacit inſtrumenta,latvſque
Obligat oppoſitum,numeroſa ſub inde recludit
Bellantum capita,& gladijs fremebunda reductis:
Emicat extemplò læua de parte carinæ
Clodius, & primò, quem Sors inimica propinquum
Fecerat,abſciſſis in faucibus ingerit enſem.
Inde gradu ſuperat nutantia tranſtra, ſecundo
Vulnere crura Ducis vano clamore minantis,
Improbus ingreſſum dum Puppis anhelat,ademit:
Inde alias ſuper, atque alias agit ordine cædes,
Acceſſuque Viros prohibet, ſtupuere ferocis
Virtutem Herois ſimul & timuere cateruæ.
Nulli primus Amor pugnæ, temerariùs ardor
Ceſſit, longinqua premitur tamen ille corona:
Sic medijs agitur inter venabula ſylùis
Marmaricus Getula Leo,nitet vndique cuſpis
Obvia, at iratos tremebunda minatur in armos,
Suſpenditque necem. Succeſſu audacior ipſo
(Senſit enim hoſtiles iam Clodius ipſe pavores)
Proſilit adverſam, perìturum vt fulgur, in Alnum:
Arripit inde locum,ne tantum ad tela pateret,

Malo

Malo terga tegens, & vocibus incitat hoſtes:
Multi adeò ſubiere pares in bella, ſimulque
Occubuere pares, quicumque accedere tentat,
Deperit interitum, vitamque inſanus abhorret.
At Maris æſtus hians Pinus exoluit ab vnco
Carcere, & Erminium diuiſit ab impare pugna
Tutorem proræ, arrepto tum tempore clauum
Nauta premit, dextraſque maris diuertit ad oras.
Iamdudum Zephyri nequicquam vela tumebant
Flatibus, abſenteſque vias patulo ore vorabant.
At ſimul ac rapidi permiſſa licentia curſus,
Officium ſubiere fuga, fuga mortis aperta
Infidum fecit deſerto Rege magiſtrum,
Dum facit immemorem, mentemq. pauoribus implet.
Sic Apis infeſti vexata rapacibus Vrſi
Vnguibus, vrget acu minitantia lumina certo,
Et vitæ momenta ſuæ, nimis inſcia rerum,
In perturbato miſerabilis hoſte relinquit.
Saucius ipſe furit, quin & ſua lumina ſæuus
Diripit, infixum ſi qua leuet arte dolorem;
Interea fugit illa amens, ſed certior hoſtis
Mors ſequitur, remanetque oculis data vita ferinis.
At circum obſeſſus creſcentibus vndique turmis
Foſſum miſſilibus clypeum iam ſponte lacertis
Linquit ab inualidis, quamuis minor vrgeat acri
Mortis Amore dolor, mox ſuccubuiſſe dolori
Cogitur: ingentes rareſcunt illicet ictus.
Nulla ſuper vita eſt, laceros ſed poſſidet artus,
Et confirmat adhuc Virtus, Mortique rebellat.

Victa

Victa sed obruitur, numeroque subacta recenti
Concidit, ac Iuuenis comitatur & ipsa ruinam.
Ergo ruit pronam in faciem, clypeoque receptat
Semianimes artus armorum mole ruentes,
Atque facit proprio tabulata nocentia casu.
Eminus horret ad huc turba importuna iacentem,
Exanimemque putat, talem sed adire veretur.
Hic tamen infandis mucronibus obrutus Heros
(Ni Regina vetet) tum fata suprema subisset,
Spesque tuas gemeres infelix Gallia raptas.
Stabat ab excelsa prospectans prælia Turri
Progenies Regnatoris generosa Britanni,
Horrebatque animis pugnam, iam parceret Hosti,
Obstaret tacito ni casta modestia voto.
Exili tunc ille sono de casside voces
Expulit inuitas, quibus ipsas frangere Cautes;
Et Pardos poterat, Lybicosque domare Leones:
Ecce libens morior; Patruis ne gaudia desint,
Insons ferte Caput. Sed si moribunda Tyrannos
Vota, precesq; mouent, quas vltimus halitus edit,
Fratribus ignoscant: patiantur abire potitum
Hac vna mercede precor. Vix ista, simulque
Deliquium lethale animæ secreta subiuit.
Dum videt ergo Virum per eburnea transtra iacentem;
Iucundæque sono vocis non nota precantem
Hermenegilda, Duces, ah parcite, parcite victo;
Vicistis, satis est, & viuitis. Absit ab illo
Corpore, qui nostras contemptu haud præterit iras.
Imbelles tum tempus erat iactare lacertos,

Vul-

Vulneraque,inuicto dum pectore bella gerebat,
Edebatque neces. Domina ceſſere iubente
Coniuratæ acies, fœduſque dedere perempto.
Is reſupinato ſpectet quaſi ſydera vultu
Poſt caſum voluit,ceu letho accommodet artus.
Dextra tenet capulum, cui forma minantis inhæret,
Læuam pectus habet medium,veniamque precari
Noxarum credas, & ſydera poſcere votis.
Tranſtra caput ſubeunt felicia pondere, Heræque
Inuidioſa, ſinu quæ nuper amabile mæſto
Subripit officium,crineſque à caſſide nudat.
Obſtupuit,gemuitque ſimul,languentia vbi ora
Extulit,ora notis expalleſcentia pulchris,
Ignotoque pijs blanda exequialia fato
Perſoluit lacrymis. Sed cum thorace remoto
Exultans cor adhuc ſenſit,medicamina, dixit,
Approperate, precor, Mundi retinete decorem,
Dum licet. Hæc inter delata opobalſama plagis
Applicuit,niueaque manu, qua redderet auras
Manibus,infeſtæ tractat ſcelera alta cateruæ.
Nulla mora,à tenebris reuocatur ad Aſtra relictis
Clodius,atque locum circumſpicit enſe reducto.
Dulce miniſterium nondum illa peregerat, hæret
Attonitus, rara eque ſtupet miracula formæ,
Sentit vbi molli tractari vulnera dextra.
Victus, an eluſus blandis variata figuris
Elyſiæ portenta plagæ, menteſque beatas
Intueor? dimiſſa meis en tela lacertis,
Certè Marte meo diſperſa cadauera cerno.

At ſocijs conferta meis vbi paruula Pinus?
Dic age, quæ reliquis, formaque, & vertice præſtas,
O licèt inuiſæ dulcis mihi cauſa ſalutis,
Quæ noua mi facies occurrit? & vnde Phalangas
In Nymphas veniſſe tuor? Confudit amicas
Illa breui lacrymas riſu, mox talibus infit.
Viuis, pone, Virum, curas, fortiſſime, viuunt,
Infamique fuga Comites ſuper æquora vecti,
Dum tu bella ſeris, turbaſque tumultibus Alnum,
Deſeruere Ducem, circumvndique proſpicis hoſtes;
At iam non hoſtes tantæ immò ſalutis Amantes?
Abſceſſere Viri, ſi cui tua dextra pepercit,
Vulnera dum curant, nobiſque relinqueris hoſtes.
Erubuit vultu cunctatus verba modeſto
Princeps, inque vicem pulcherrima lumina fixit,
Pallenteſque ardore genas dubitante notàuit.
Tum ceu deficiens caro languentia rurſus
Colla ferens gremio formoſæ Virginis inquit:
Si mihi diuerſo lux reddita fortè la certo,
Non iſta donata manu, luciſque pigeret,
Allatæque pigeret opis (dudum odimus auras)
At iuſſu Regina tuo producere confert
Ingratas ſub Sole moras. Dimitte dolorum
Si parere iuuat crudelia acumina Princeps,
Protinus illa ſubit, nam digna hæc Principe Virtus,
Nec metuenda mihi eſt parcæ in te iniuria Sortis,
Poſt hæc tempus erit curis incumbere. Dixit,
Iuſſit & abduci Iuuenem, thalamoque reponi,
Ne raperet longo meritam ſermone quietem.

Inde

Inde gradum retulit renuentem, & lumina vertit
Abſcedens. Molli ſeductus at ille cubili
Pectore turbato non mollia damna recenſet.
Nam fuga crudelis Comitum, Fratrumque catenæ
Immeritæ,& proprij præſentia vulnera Fati
Aeterno accumulant irritamenta dolori.
Sed pulchræ medicina manus, & forma decoræ
Virginis exhaurit ſæuum, minuitque laborem
Vulneribus, primoque animum permulcet Amore.
Dumque redorditur perculſa mente lacerti
Obſequium ni uei, crudelia vulnera laudat,
Excuſatque libens; nondum arma Cupidinis altis
Viſceribus, totis nondum ignem exceperat extis,
Nobile ſed pectus ſubruſticus ardor agebat.
Quem mox nocturnis pertentans Delia bigis
Erudit, & medio Regina illapſa ſopori.
Viſa iterum tractare manu ſtridentia multo
Membra cruore, feris & balſama olentia plagis:
Rurſus habent oculi lacrymas, ſolantia rurſus
Verba canit, ſolitoque magis formoſa videri
Incipit,& Virtus nulla accipit vltima laudes.
Nec non inſolitis vrgeri corda fauillis
Sentit,& inſolitas amat Hermengilda fauillas,
Ah nimium dulci cumulata incendia cauſa.
Et modò Syderei generoſa modeſtia vultus,
Nunc pudor, & probitas, roburque perurit Amantem.
Nunc qualis clypeo ſtillantia corpora fracto
Languidus, & moriens commiſerat, hinc vbi Fratrum
Immemor ipſe ſui,precibus proferre ſupremis

Fata cupit, ſtetit ante oculos, lacrymaſque popoſcit.
Sic Atalantæum dubitante cupidine pectus
Arſit ad æquorei formoſa pericla Nepotis,
Dilectoque minus concurrere quæſijt hoſti,
Perniciue magis, proprij malè conſcia voti.
At dum ſollicitis agitur mens anxia curis,
Tranquillo fruitur vix mobilis æquore Puppis.
Nec minus interea ventis torpentibus Alnus
Turpi tuta fuga placidis errauit in vndis.
At ſecus Erminius, media neque nocte quietem
Suſtinet, errànti per tranſtra fugacia greſſu
Impos mentis abit, rapto moriturus Alumno.
Inde fugam quoties verſat memor inconſultam
Arma ferox repetit, Nautæque ſuprema minatur;
Tu mihi tu Dominum caput execrabile reddes,
Incuſtoditi deſertor perfide Regis.
Quid vitam poſthac illo ſperemus adempto?
Clotharione ſuper iam viuitis? anne rebellis,
Et Patruis deuota manus, non noſtra fuiſtis?
Heu quid agam? moriamur, adhuc obijſſe fideles,
Et licet excuſare ſcelus; redeamus, & ipſo
Aequore, quod Clodi triſtes excepit in auras
Imperijs electam animam fera fata ſequamur.
Sed venti poſuere. Meis iurata periclis,
Et iurata malis Elementa! Vbi nobile cœdi
Tempus erat damnare Caput, clauumque fugacem
Oſtentare hoſti, rapidis ſcelerata repleſtis
Carbaſa flaminibus, ſceleri aſpiraſtis iniquo.
At modo commiſſum facinus delere negatis,

Mu-

Mutatiſque fidem. Fatum ſi tollitur inſons,
Quis rapiet perijſſe reis? Sic æſtuat ardens,
Dum famuli adſiſtunt, lacrymiſque fatentur obortis
Crimen atrox, ſibi quiſque gemens ſibi funera clamat
Deberi, crimenque fuit prætexere crimen.
Sed nitidum Cœlo iam Phoſphorus euocat agmen,
Et radijs primæ miſcentur cœrula lucis.
Omnia iamque ſuos redeunti luce colores
Excipiunt, Abieſque, Viros quæ deuehit aluo
Semineces cumulat terrorem, heſternaque clades
Lugubri patefacta die concreta cruoris
Flumina proponit crudeli in imagine mortis.
At roſea Regina manu comitata colores
Aurorę croceos, ſubtegmina ſerica ſumit
Iam vigil, & thalamis erumpit ſedula caſtis.
Tum Phrygio præſignis acu, ſaturataque Cyclas
Murice Sidonio, Tyrijſque infecta venenis
Obnubit ſublime latus, tantiſque beatur
Igne calens femoris, capiti redduntur honores
Dilati, blandoque vagi diſcrimine crines.
Sic Venus Aetnæis iam non contenta Roſetis
Innabat formoſa Mari teſtata natanti
Se Diuam candorę gregi. Nec vela, fidemque
Pulchrior, Idææ pretium memorabile litis
Soluit ab incautis Helene fugitiua Mycenis,
Cum turpi prædone redux, caput abiete flauum
Dum tulit, & blandos ad Pergama adultera vultus.
Nec ſegnis Iuuenem (nouus incitat ardor) amantem
Conuenit, & medicam famuli ſuccedere dextram

Ipſa

Ipſa iubet curæ, ſæua dum lege Pudoris
Tum primùm inuiſi munus ſibi dulce negatur.
Aſt operi præſens, cuius doctiſſima, monſtrat
Quæ grauiora putet, vel quæ prius apta mederi
Vulnera, & optato nunquam diſcedit ab ore.
Poſtquàm ſanguineis repetita opobalſama plagis
Tabificam ſuxere luem, pro margine ſedit
Virgo tori famularum aſtantibus vndique turmis.
Quin age nam miſeræ conamina triſtia gentis
Dirum, inquit, ſoluere nefas, meritamque fatemur
Iram, magne, tuam, Ductor, ſi parcere faſſis
Iam decet, ignoſcas, & dum auxiliaria Venti
Flabra negant taciti, cauſas expone, viæque,
Erroriſque tui, quod nomen, & vnde propago,
Quis Pater, & Genitrix, referas, quæ Patria tanto
Pignore felices, vel quæ tibi ſceptra reguntur?
Funeſtos memorare iubes ab origine caſus,
Incipit ille, nouis turbatum legibus Orbem,
Et regale nefas, nullique imitabile ſæclo.
At mihi adhuc hebetes infirmo in corpore vires
Vix dum ſollicito permittunt verba palato.
Sed tua ſufficiet præſentia viribus æquum
Subſidium, celſique vigor venerabilis oris.
Non tamen in medio fas eſt lugubria cœtu
Fata redordiri, quæ ſi tibi iure negata
Arcano Regina ſinu celare liceret,
Irrita iuſſa dares. Thalamis arceſſitur omne
Vulgus, at è foribus ſpectabilis illa recluſis
Stare tamen voluit, ſic iura, pudorque iubebant.

NO-

NOBILIS ingentes animos Amor vrit, & obſtat
Ipſe ſibi, celſus, cuſtoſque Pudoris, & æqui,
Fortis,& oppoſito ſemper ceſſurus honori.
Iſque vbi ſecuro fandi data copia dixit.
Regem Virgo vides miſerum pulcherrima Regem,
Expulſum Regnis,Terraque, Marique vagantem.
Non tamen Imperij latu iactura potentis
Difficilis, ſed grata venit,nec degener vllas
Iſte volup tates animus lacrymatur abactas.
Quod mea diripient Patrui ſi Regna, lacertos
Non rapuere, quibus Diademata rapta repoſcam.
Sed Fratrum me vincla premunt,Auiæque dolores
Immeriti, cui Sydereis par dextera ſceptris.
Clothildæ ſi fortè tuas non perculit aures
Fama, vel his longè diſtant regionibus oræ,
Quas regis Imperio, vel quod tibi laudibus vni
Cedat, Fama ſilet. Vix contigit aera clarum
Nomen, ab auratis cum proſilit illa cubilis
Marginibus venerata Ducem,conqueſta quòd altam
Progeniem tegeret. Bibit ocyus ore recentes
Virgo faces,tunc ille magis formoſus, & ingens
Viſus, coniugijs cum ſe regalibus æquum
Edidit,& clari patefecit ſanguinis ortum.
Ergo hæſit cunctata diu, ſiluitque parumper
Dum miſeret,Regnique dolet fera geſta furentis.
Quin age,mox inquit,Regum nitor inclyte Auorum,
Flos Iuuenum, mundique decus, quos barbara mores
(Verbo parce) tenet, tam Regibus impia, Tellus?
Certè cara Scythis, & cara Trionibus ipſis,

Ca-

Caraque, ſi qua iacet peiori obnoxia Cœlo
Trans Calpen, Indumque domus, capita ardua Regum.
Mens eadem deuota feris, Dominumque veretur:
Sic Natura iubet, generoſum Sylua Leonem.
Aequus Amor toto volitantibus æthere turmis;
Piſcibus æquus Amor, par eſt reuerentia Regni.
Tum Princeps, Odiſſe ſuos nec Gallia Reges
Edidicit, nec iura velit confundere mundi.
Sed Patres hæc pœna decet, queis maxima noſtri
Diuidere Imperij placitum Diademata, ſoli
Committenda Duci. Comitem nec habere poteſtas
Vſquam ſuſtinuit, nec ſuſtinuiſſe decorum eſt.
Hoc ingens errauit Auus, (ſi tanta Nepoti
Promere fas) quoties indiſſociabile ſceptrum
Diuiſit Soboli, multaſque admiſit habenis
Frænandis in Regna manus. Hinc orta voluptas
Sanguinis, hinc queſtus, animiſque tumentibus iræ,
Hinc furor, hinc clades, gentiſque miſerrima cœdes:
Nam dum quiſque ſibi primos expoſcit honores,
Iam non Frater, amat ciuilia gliſcere late
Prælia, concilijs paſſim laudata nefandis,
Innumeros hauſtura Viros, hauſtura Cohortes.
At nunquam ſcelerata meis, non perfida vixit
Gallica Gens Patribus, fidei quin laude remotas,
Vicinaſque plagas longo diſcrimine vincit.
Feruida in arma manus, nullis mortalibus æqua
Oris temperies, & candida frontis imago.
Qui vultus color idem animi, ſincerus, & acer.
Neſcia nobilitas fraudum, ſed ſedula vindex,

Im-

Impatiens perferre probrum, nihil anxia certæ
Mortis ad obtutum, ſi gloria mortis Amorem
Ingerat, excelſo non vlla venuſtior ore.
Hanc vbi regales duxere in prælia nutus
Edita colliſis imitatur fulmina nimbis.
Sic manibus, ſic mente ferox. Non ſecius ardent
In cædem audaces poſt otia longa cubilis,
Si Lea iam patitur, catuli, forteſque cruentis
Stragibus exercent, virtus quos incitat vngues.
Verùm nulla magis Peregrinis grata, ſuiſque
Emicuit Regio, meruitque hoc nomine primum
Inter Regna locum. Dominorum exercita ſæuis
Nunc agitur furijs, qui fratrum in fata meorum,
Inque mea incumbunt, Fratri, Patrique Rebelles.
Inde fugæ ſeriem, & conamina dira renarrat,
Captiuoſque gemens Fratres, ſibi fraude petitum
Multiplici regale caput. Tum percita iuſto
Impete conclamat Virgo, Proh dira cupido,
Et nullis ſaturanda bonis! Quid carpere iuuit
Immerita legata manu diſpendia ſceptri,
Si totum rapuiſſe placet, nomenque Furori
Tradere Virtutis? Ceſſant heu fulmina ceſſant,
Ceſſant arma Ducum, quos lente amplecteris Orbis,
Vltores quos iura petunt, quos inuocat æther?
Me quamuis medijs rabies vetet horrida telis,
Quæ noſtri ſtrinxere Patres, iuſſuque Priorum,
Non hoſtes iam ſponte ſumus, dolor excoquit imis
Viſceribus pellique meis, Rex maxime, Regnis
Te fugiente, reor. Quod ſi ſublimia mecum

Tecta petas, vbi lata Pater dat iura Britannis,
Non modò perpetuis contraria pectora iungam
Fœderibus, sed triste iugum, quod Gallia dudum
Inuicta ceruice timet, iusto impete frangam.
Addet, opesq; manusq; Pater; modò concipe mentem
Te dignam Princeps, Sortem super arduus exi.
Talia iactabat, pulchroque rubore micantes
Tingebat Regina genas. At reddere grates
Ille pares cupidus, niueam tum præpete dextram
Arripit occursu, deuotaque ad oscula pulchram
Ceruicem demittit Amans, negat illa, moramque
Sustinet interea, ne præmia tollat amori.
Ille toro posuit vix lactea colla, profatur.
Denique felicem permittit barbara lucem
Post varias Fortuna vices, licet hactenus vni
Conspirata malo. Rabies me ducit ouantem
In sæuas furibunda neces, propriorque perempto
Eripior pœnis. Venientem ex hoste salutem
Suscipit adiunctæ victrix audacia vitæ.
Nec satis hoc, profugum, Regnisque ò Virgo paternis
Restituisse cupis pulsum, auxilijsque iuuare.
Quæ Clothilda mihi, quæ plura dedere Parentes?
Crimine quò merui æternas, quia viribus impar,
Ingrati perferre notas? Dimitte subactum
Muneribus Regina Virum, nec proxima multùm
Funera, longa diu quæ iam per vota popposci,
Cara minus facias à te procul ire coacto.
Rursus ad hæc lacrymas regalis Virgo parabat,
Illicò sed thalamis exurgit, & ora pudico
Pollice detergens à Principe leniter exit Inde

Inde ſalutato,atque dapes iubet ire iacenti.
Non tamen in medijs,greſſum ſecura moratur
Cætibus, & famulis, quarum aſtitit ordo relictis
Anxia nocturnæ repetit penetralia ſedis.
Hic poſuit tum fræna Pudor ſua, teſte remoto,
Dedidicitque metus, lacrymis hic ſoluit habenas,
Reſque iterum duras, capitiſque pericula pulchri
Commemorare iuuat,ſed dum ſua vulnera tractat,
Vulnera crudeſcunt,cœcuſque incenditur ardor.
Nec lacrymæ extinxere faces, pro fomite manant
Flumina luminibus, flammaſque humoribus augent.
Abſiliunt oculis flammæ, lucemque recuſant
Collapſæ ſine more genæ,cuncta odit,amatque,
Et dolor incertus diuerſæ iactitat artus.
Nunc velut exanimis greſſu ingenua ægra ſoluto,
Vix, labente caput ſuſtentat debile collo,
Nunc interruptæ reddit vaga membra quieti.
Nec requiem momenta ſinunt,longæua perhorret
Inſolitas Nutrix furias,cauſamque requirit.
Perque tibi fortis dulciſſima nomina Fratris,
Perque Patrem magnum,perque incunabula paruæ
Prima,rogo,afflicti crudelia pondera cordis
Exoneres,noſtramque fidem nè crimine damnes.
Si modò Cuſtodes, quos vnicus abſtulit enſis,
Ingemis amiſſos,animum ſolare iacentem,
Quod Patriam ſecura petis, quod & vltio prompta eſt,
Captiuumque Ducem dilecta ad mænia portas
Heſternas vltura neces. Suſpiria nomen
Excepere Ducis. Cognoſcit Alumna recentis

Vulnus Amoris Anus, teneræque ignoſcit Amanti.
Et magis ignoſcit, quod originis edidit altæ
Inſignes titulos, quod non exæſtuat igne
Degeneri, trepidum tum ſic leuat ore Pudorem.
Senſimus, inquit, amas, & Amor te nobilis vrit,
Ecquid Nata gemis, culpamque timore mereris?
Nempe reos animos metus indicat. Eſto ferocem
Diligis Heroem, quis in hoc latet error Amore?
Te dignis exurge animis, natalibus, oro,
Parce ò ſceptrigeris, ſolitum reminiſcere pectus.
Nutrix fida, meæ teſtis certiſſima mentis,
Illa ſubit, Terramque tamen pudibunda tuetur,
Illacrymans, primis ignoſce furoribus oro,
Queis miſeranda feror. Nam ſi permitteret Aether
Libertate frui, ſubitaſque repellere flammas,
Libertas fugienda foret, flammæque petendæ.
Nec me ſigna mouent, crudeliaue omina terrent,
Vulneribus quod natus Amor, quod mille ſuorum
Regem odia obſideant (quin hoc magis vrit) amores
Ignaro quod Patre ſequar. Iuuat ire per omnes
Incautam caſus, certiſque occurrere Fatis,
Cara prius menti quam obliuio deleat ora.
Felix morte mea, finemque habitura beatum,
Felix illa quidem tali fruitura marito.
Sic ait, & lacrymis gremium Nutricis obortis
Rurſus inundauit, collumque in pectora flexit.
Soluitur in luctum & nutrix, dein, Forſitan, inquit,
Te quoque amat Princeps, neque ſolus dignus amari.
Vidi equidem, nec finge diu, dum verba benigno

Ore

Ore dabas, inopina manu tulit oſcula rapta.
Vidi oculos, vidi ora Ducis; turbatus, & ardens
Fronte, toros ceruice petijt, faciemque notauit
Igne repentino, nec Sydera iuſta furores
In te conſument, facibuſque ardebitis æquis:
Et niſi me facies, & forma ſimillima ludit,
Corporis ipſe paris veſtigia pulchra ſequetur,
Et deſiderijs animus flagrabit ijſdem.
Hæc inter celeri fumantia in æquora curſu
Præcipites Sol pronus Equos, lucemque trahebat.
At Iuuenis ſimiles exercent pectora curæ,
Spemque, metumque inter nocturnas anxius horas
Ducit, & optati nequicquam nominis auras
Implet vbique ſono. Sed non ea ſola dolenti
Materies, veniuntque nouis mala plurima cauſis.
Quid faceret captiuus, inops, Rex proditus hoſti,
Vnica liligeræ ſpes, & ſolatia Gentis,
Virginis infandus per Regna inimica triumphus?
Hinc mentem Clothilda ſubit, fratrumque reducit
Grandior ærumnas præſentis imago pericli.
Interea grauibus lentus ſopor implicat alis
Membra Viro, triſtemque parat per ſomnia pacem.
Sed pacem ſimulacra negant volitantia Cœlo,
Intempeſtiui quatiunt vbi membra tumultus.
At Virgo congreſſa manus, & prælia pulchro
Cum Ductore ſerit, vel ſi non ſpicula iactat,
At iactare putat, fulgentibus obſita criſtis,
Et ferro munita femur, tandem icta ſupremo
Vulnere humi foſſum ponit latus, oraque letho

Pal-

Pallida vicino, ſed vix agnoſcit amatos
Clodius ore minax amota caſſide vultus,
Cum ruit, & ſtricto ſibi fata nouiſſima telo
Criminis in pœnam tendit. Parileſque trementem
Excutiunt vmbræ Iuuenem, turbantque quietem.
Denique de roſeis producit fulgida portis
Sollicitas Aurora rotas, niueoque reportat
Ore diem, at ſtratis petit Hermenegilda relictis
Partem animæ tremebunda ſuæ, placidoque reuinctum
Ecce videt ſomno, & ſuſpiria corde trahentem.
Tum lentos taciturna gradus diuerterat, ægro
Ne matutinæ diſrumperet otia pacis.
Cum querulos dedit ille ſonos, greſſum ergo repreſſit
Virgo locuturi vocem exceptura, Repone
Tela ferox, crudelis, ait, quid proderit inde
Deuotum mactaſſe caput, ſed & eſto, cruore,
Id patiar, ſatiare meo, dum perfidus abſit
A membris hic mucro tuis, ſcelera horrida, parce,
Parce ingens mandare nefas. Sed vincimur heu,
Saucia Virgo cadis, ſed inulto haud perdita fato.
Te ſequar ò, te cara ſequar, lacrymæque caducas
Sanguine iam complebo vices. Vix iſta, humĕroſque
Extulit, & ſtrictum, verſa ceu cuſpide pugnum
Impete conuertit, qua cordis candida ſedes
Intumet; excuſſit violens torpentia motus
Membra, & ad obſcurum Morpheus redit ocyor antrũ
Suſpenſo illa fugam tentabat ſedula curſu,
Excitus at Princeps greſſum reuocauit euntis
Compellans, redit ergo oculos demiſſa, cietque

Con-

Confeſtim dubios facti ſibi conſcia riſus.
Quin ait, ò miſeram, quam tu crudelis amabis,
Felicem at potius, quam fortis dextra necabit..
Aſt effare precor, cuinam tam dulce paratur
Funus? ab Eliſijs ò funus amabile Regnis!
Ille rubore notans vultus quod inanibus vmbris
Senſerit eluſum quiſquam, mentiſque latentes
Extulerit ſenſus, Tu ſcilicet, inquit, acerbo
Parce precor Fato, quod per diſcrimina ductum
Exagitat, vexatque animum. Mihi turbida noctis
Otia ferales (auertite Numina crimen)
Cogebant in bella manus, meq; ipſa iubebas
Cæde tua Regina reum. Et mihi, Virgo reponit,.
Hæc quoque lugubres cecinerunt funera laruæ;
Vſque adeo heſterna mens percita cæde vacillat.
Sed ſuperi melius. Quod ſi me ſydera fatis
Dulcibus impendant, fauſtiſſima ſydera dicam.
Exin ſæua iterum nemoralis vulnera pugnæ,
Illuſtremque fugam biſdenis ſtragibus vltam
Audire, haud vnquam niſi victis læta periclis
Geſtijt, heu magno minimum ſolamen Amori!
Sic blando ſermone leuant faſtidia lenti
Aequoris, atque nouis refouentur in ignibus ignes.
Nam Pelagi, Cœlique quies torpore ligauit
Cœrula quæſitos quacumque negantia curſus.
Denique firmatis ad prælia viribus aptus
Surgebat Princeps, pretioſo & tegmine fulgens
Idaliæ poterat formoſa Propago videri.
Iam medio nitidum ſiſtebat tramite Solem

Lux,

Lux, vbi ad excelſum breuior malum vmbra recedit.
Iuncta quies Iuuenem diuerſa in ſede iacentem,
Reginamque tenet, furtiuo lumine Phœbus
Quam ferit, exiguam qua vitrea rima feneſtram
Diuidit, & niueos ſudoribus irrigat artus.
Non poſt Leucothoes rapidi luſtrator Olympi
Virgineo fertur magis inſultaſſe ſopori.
Et niſi primæuæ tumulum trepidaret arenæ,
Huic vni potuit ſubmittere pectora flammæ.
Crudelis placidas inuidit Amantibus horas
Aeolus, & liquidis duxit diuortia Campis.
Lenta quidem Gallis veniens regionibus æquor
Impulit aura, leues criſparunt Nerea Cauri.
Sed venit aura ferox vnius munia Mortis
Aſſumptura ſibi, nulli ſuperabile Fato
Audet ventus opus. Præcelſi nùntia veli
Vox cauea delapſa venit, lignumque minaci
Territat omne ſono. Celeratè morantia nautæ
Carbaſa, & admiſſo diſcrimina ludite roſtro
Propitijs inuecta notis: Venit acta ſecundo
Flamine Gallorum Puppis. Mora nulla rudentes
Certatim arripiunt, veliſque tenentia laxant
Vincula, pars lævis nutantia culmina mali
Thoracij tractura ſinus, quos lenta moratur
Seu rota, ſiue lacer funis, conſcendit, & æquat
Cornua, tutatur pars pondera eburnea claui.
Nec procul interea creſcentibus incita Cauris
Liligera immanem pellebant lintea molem.
Nullo nempè grauis ſub pondere, littore nuper

San-

Santonico religata Abies, laſſata vagantis,
Quidni membra Ratis, Cœlo arridente, præiret?
Principibus tum abrupta quies, fremituq. frequentum
Nautarum,& famulæ Dominam clamore citantis.
Proſilit è ſaturis Meliboeo murice ſtratis
Clodius inſoliti ſcitans momenta tumultus.
Nec procul Hermenegilda ſuo de Principe tantùm
Sollicita in medio properantem limine ſiſtit.
Aut hæc portat,ait,Patruorum Pinus iniquos
Lictores,bellumque iterum nemorale gerendum,
Turbaue deuotis properat tibi ſubdita ſignis,
Alterutrum mea fata vehit, vel amica,vel hoſtis,
Hæc te Puppis auet. Mihi te ſine corde reuelli
Poſſe queror, ſed non poteris,tecumque reuulſum
Cor veniet. Tunc ille genis ardentibus,inquit,
Inualidas ne quæſo pijs pulcherrima dictis
Proſternas vires, fatis immedicabile vulnus
Pectus habet. Iubeas captiuo tela referri,
Belli iure tuum precor ò da protinus enſem.
Milite digna peto,Duce dignaque funera,aceruis
Incubuiſſe feris, animam exhalaſſe per hoſtes.
Si tamen haud noſtris vexilla rebellia ſceptris
Cernimus,illa tuos ſpectabunt cernua nutus.
Vitaque,morſque pares faciet. Depromitur ingens
Interea lorica, manu quam præpete raptam
Induit Hermenegilda Ducem, dein caſsidis auro,
Atque grauat clypeo, femorique adfibulat enſem.
Tum proprios Regina finus circumligat armis,
Malarumque roſis plumarum imponitur oſtrum.

Cum pauci vlterius prima de ſtrage ſuperſint;
Qui noua bella gerant, Hoſteſque à puppe repellant.
Haud ita Phlægræis Tritonia concita bellis,
Cum trepidaret adhuc arrepto Iuppiter igne,
Et fugerent toto palantia numina Cœlo,
Arſit, & horrificas ſtimulauit Gorgonis iras.
At ſpatio Princeps intercedente ſagittæ,
Dum ſpeculatur adhuc ſocia arma, inimicaue cernat,
Ecce ſuperſtantem generoſo vertice turmis
Proſpectat Numitorem hilaris, conumque reponit.
Vix caput æthereis ſpoliatum caſſide campis
Prompſit, honoratæ cum candida gloria frontis
Emicuit petit Aſtra ſonus, voceſque Profundum
Reddidit, ò noſtri viuat ſpes maxima Regni
Clodius, & ſcelerum redeat iuſtiſſimus vltor:
Hæc eadem mixtique Duces, mixtæque ſequentes
Indiſtincta canunt, ſeſeque e puppe refundunt.
Virginis exagitant communia gaudia mentem,
Et pacem pax ipſa negat. Iam certa propinquæ
Sortis, Abibis, ait ſecum, crudelis abibis,
Et poteris Dominam famulis quoque cædere cæſis.
Clodius hæc inter paribus procurrere velis
Iam ſua vela iubet (plaudit Regina iubenti)
Et Francos Anglæ Proceres ſuccedere claſſi.
Præcedit nutum obſequium, veſtigia primi
Aurelianus agit Numitoris, & Enſius audax
Pone ſubit, ſequiturque Equitum fortiſſimus ordo.
Subijciunt tum colla ſuo famulantia Regi,
Certatimque pium reuerentia ſignat Amorem.

Tum

Tum Numitor mandata Auiæ regalia portans,
Teſtentur facies, niſi vocibus æqua tuorum
Danda fides, Domino quàm gaudia magna reperto.
Quid miſeros abſens vltra facis? vnde nocentum
Nomina promeritos? An quod non vindice dextra
Crimen plexit adhuc, potuit ſcelerata videri
Gallia? fulminèas ſub te Duce concipit iras,
Teque eadem ſpoliata riget; Tu reddere vires
Effætas, Rex ſumme, potes. Te Regna repoſcunt,
Te Clothilda gemens, te turpia vincula Fratrum.
Dumque ait, vno eadem cuncti ſimul ore fremebant.
Arſit ad hæc Princeps, Fratrumque indigna ſub alto
Vincula corde tulit, ſed nobile pectus in iras
Diſtulit, ad patrios detur ſiquàndo reuerti
Poſſe lares, læſique vlciſci vulnera Regni.
Tum ſic, Inſolita haud adeo mihi ſigna meorum
Adueniunt fidei, Proceres, inopinaue ſurgunt.
Si me vnquam lœtis reddat Sors aſpera rebus,
Et decorata micet patrijs hæc dextera ſceptris,
Præmia iuſta Duces, quamuis non apta feretis.
Non tamen interea cupido me reddere Regno
Fas mihi felices geminata vbi Sorte catenas
Non ægra ceruice fero. Regalis honorem
Virgo tenet famuli regalis, & Arbitra Vitæ
Vna meæ, de morte poteſt, vitaque paciſci.
Et iubeat, nil iuſſa moror: Sat dulcia tali
Iudice fata feram, totum paritura per Orbem
Regibus inuidiam. Tum libertate redemptus,
Libertate libens cum me decorabit, abibo.

Senſimus inſidias, tunc Hermenegilda profatur,
Senſimus, ah nimium demiſſa ad verba benignus
Deſcendis, noſtris iam conditionibus æqua.
Huc etiam Fortuna trahor, ſperare ſalutem,
Et libertatem captiui à munere Regis.
Sed ſperare iuuat. Quis vota præire recuſet,
Quis tanto ſeruire Duci? dum poſcis apertum
Libertatis iter, famulæ tum vincula ſoluis.
Accipio donum, memorique in pectore ſeruo.
Atque ea dum fatur, vix erumpentia mœſtis
Flumina luminibus cohibet, neglecta potenti
Maieſtas adeo ſuccumbere geſtit Amori.
Non tulit immoto fortis mala pectore Princeps,
Senſit vbi immites Reginam ferre labores;
Dumque caput flauum demittit ad oſcula dextræ,
Quam prohibere Viro mens obruta turbine neſcit,
Exili dat verba ſono, quibus impulit Arcem
Pectoris, & Vitæ tranſmiſit ad intima telum.
Nulli audita quidem, nam dum inter gaudia nautis
Diſpenſant mandata Duces, ponteſque parantur,
Dat breue Principibus vocum diſcordia tempus.
Abſcedo, Regina, tuus, quo perfida ſternunt
Fata viam. Moriturus eo, nam viuere tecum
Cum nequeam, mihi dulce venit te funus adempta.
Si tamen illa moras (nec iam ſperamus) amicas
Permittant, dum cara redux tentem ora tueri,
Inſpiciamque Anglæ regalia mœnia ſedis,
Da veniam, medios ibo tum lœtus in hoſtes.
Quin hæc, illa ſubit, miſeræ ſolamina vitæ

Spes

Spes refouet, reduces ad tecta Britanna videre
Dilectos vultus, ſiquæ hæc ſubducitur vna,
Vita quoque in liquidas, certum ſedet, exeat auras.
Plura locuturis in lumina mutua fixis
Singultus rapuere ſonos, ruptoque ſupremum
Singultu dixere Vale. Lento inde recedit
In ſuam vterque gradu, puppique reconditur alta.
Anglam proſequitur non tardis flatibus Eurus,
Feliceſque parat quæſita ad mœnia curſus.
Incumbit tum quiſque ſuæ per nota Carinæ
Munia nautarum, proræ, laterique rudentes
Diſpenſat certos, Gallum labor ipſe Magiſtrum
Detinet incaſſum, quippe aura ſecunda Britannis,
Huic negat optatos ad littora amata recurſus.

CLODIADOS
LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

VEntus Anglis benignus, reditum in Galliam Clodio vetat. Clothildæ mandata exponit Numitor, & quid sibi ad visendos regalium Puerorum carceres dimisso acciderit. Tempestas ingruit, & Clodius phaselo cum Aureliano receptus, seminex ad oras Britaniæ compellitur. Nauis lateribus reuulsis incolumis tamen Anglicum portum arripit. Ibi Erminij profugam Pinum inuenit, sed non ipsum, qui mortis cupidus paucos ante dies Londini viam ingressus, abscesserat, sua fata suspendens, donec certior de Clodij interitu fieret. Idem statuit Numitor, ac peragit. At Clodius cum Aureliano Heremitæ obsequio refectus ipsum agnoscit Sygismundi filium, quem cum Vxore, & natis Clodomirus interfecerat. Hinc discedens Clodius prædonem cum Pyroo fugientem obuiam habet. Agnito Equo, iaculo sternit equitantem. Recepto Equo iter prosequitur, & languentem reperit Virum, cuius lamenta inobseruatus audit, & Amaldum Scotiæ Principem esse colligit. Sustinet opportunè cadentem, & ab ipso Edani Gygantis de Dracone victoriam, Hermenegildæ pericula, Edani connubia renuentis intelligit.

ALbionum solus non lumina flexit ab Alno
Clodius, & nubi, nam condita nube latebat
Mole recedēti lachrymis cessantibus instat.
Attonitum nec dum dolor obruit; ast vbi Cœlum
Occupat, & longi spumantia cœrula Ponti
Dilecta pro puppe locum, par esse labori
Desinit ingenti, miserum se denique fassus.
At primis postquam Procerum circumdata vinci.
Erubuit Virtus, taciturnum corde dolorem
Comprimit, & læto certus sic fingere vultu,

Nomi-

Nomine quemque vocat, quemque ad regalia poſcit
Alloquia, & fidos æternis laudibus auget,
Inde penetrali Numitorem in ſede reductum
Conuocat, vt Regni præſentia fata recenſens
Vix patientem animum vindictæ inflammet amore.
Is priùs incauti memorare fugacia Patris
Vela rogat, ſtragemq; virum, quam puppe moratus
Hoſtili audierat, multu nque iraſcitur aſtris,
Quod non ipſe ſuo per tanta pericula Regi
Ante Comes ſteterit, tum ſic roſea ora reſoluit.

Poſtquam de nemoris victricem ambage reportas
Ductor ſumme, manum, terdenaque funera linquis,
Teſtatura tuæ meritos virtutis honores:
Certus Ego ſceleris, ſceleris tamenuſque peracti
Ambiguus, funeſta peto diſpendia luci,
Truncatiq; Viri mihi lumina turbat imago.
Huic caput in multa quæſitum cæde, nec vſquam
Inuentum, incerto dubium me nomine fecit.
At chlamidis pretioſa tuæ pars ſciſſa, Viroque
Deſuper impoſita, heu miſeris ſolatia Gallis,
Rapta minabatur, Regem mucrone ſubactum.
Cara igitur pronus famulanti pondera dorſo
Excipio falſiſque grauo mæroribus Vrbem.
Queis tulit audaci confeſtim indagine finem
Ruſticus, & carta diri è ſubtegmine buſti
Arreptam informi mihi porrigit ore legendam.
Riſit ad hæc Princeps, Adeone informia Patris
Membra tibi veniunt? Non paſſus dicta loquentis
Attonitus Numitor, mox riſu in verba ſoluto

Er-

Ergone mentiti circum mala funera trùnci
Perſonam Erminius vafri Paſtoris agebat?
Quis turpatum adeo, totoque Acheronte notatum,
Et lacera latitantem hominem ſub veſte notaſſet?
Tum fuga cornipedis nullius iuſſa ferentis,
Te niſi ſuſcepto, docuit veſtigia euntis
Cara ſubire Ducis. Sed non tamen ante cupitum
Aduenio littus, quàm vos Notus improbus alto
Proueheret pelago, voceſque audire vetaret:
Ergo dolens redeo, Regnatricique Nepotem.
Expono incolumem, ſed per maria alta fugacem.
Ingemuit Clothilda diù, mæſtumque dolores
Impediere ſonum, frænis laxata ſolutis
Vox tandem erupit, Procul, ò neque deprecor, inquit,
Exul abi Clodi, nimia pietate furenti,
Atque in amore feræ, ſic demùm iraſcere matri,
Si potui Patruis te mittere munus iniquis,
Vt ſtygijs caderes indebitą victima monſtris,
Quis mihi fidat adhuc, quis ſceptra nefaria laudet?
Quiſue reum poſthac Clothildæ nomen amabit?
Et merui. Mihi tela truces intendite Nati,
Exercete nefas, vterumque ferite nocentem,
Sed, Clodi dilecte, redi; non credere Gnatis
Iam ſemel edidici, & melius mea corda tueri.
Regnature redi; Quando par dextera bello,
Par quoque ſuccedit ſceptro. Non ſuſtinet vltrà
Per vulnus laniata nouum Rex corda, toroque
Incumbens, raris lachrymis nitida ora rigauit.
Tum cubito innixus, qua fulua crepidine ſurgunt

Stra-

Strata ſtetit Numitor, ſerie ſic orſa ſecutus:
Aſt vbi ſollicita regales aure querelas
Excepi, iuxtoq; via eſt patefacta dolori,
His luctus abrumpo ſonis, ſi magna nepotem
Mox reducem Regina cupis, permitte carinam
Iam mihi, quæ celeres agitet ſuper æquora curſus,
Auſit & armatis obſiſtere viribus hoſtis,
Annuit ignota, ſed primùm veſte latentem
Ire iubet Iuuenumq; graues ſpectare catenas,
Frangere ni liceat, Patriæue reducere raptos.
Tum iuſſis parere iuuat, modicumq; moratus
Regia in Vrbe viæ, poſitis inſignibus, inſto.
Quippe meæ ſat nota domus inſignia vero
Semper fida Duci, Patruis me ſponte ſuperbis
Ante retexiſſent, quàm limine ſiſteret Arcis
Orbis vbi Galli florentia germina languent.
Incomitatus eo, nec buccula clauſa patentem
Miſit anhelanti, ſic cautior, aera cordi.
Deniq; ad optatæ ruralia mænia ſedis
Peruenio, multoq; vias cuſtode foreſq;
Cerno coronatas; vigilum ſuſpenſio magnum
Tractari teſtata nefas, quod, & inde ſecutum eſt,
Paſſis ecce comis, palmiſq; in terga reuinctis
Virgo, cui geminum ſeruabant lumina ſydus,
Cæſarieſq; auro pretioſa fluente micabat.
Candor habet vultus, niſi quod dubitante rubore
Proxima purpureos feciſſent funera, candent
Argento niuibuſq; manus, habet vbera candor,
Omnia candor habet. Laſciuo palla relapſu

Inque humeros,latus inque redit,quaſi protinus amplos
Ingreſſura Polos,& Ciuibus apta beatis.
Talis ab Iliacis necquicquam erepta ruinis,
Morte Mycenæo ventos paritura Tyranno
Venit Achillæis mactanda Polyxena buſtis.
Ora grauis riſus, ne deprehendatur in illis
Terror,agit,lachrymaſque tamen ſpectantibus aufert,
Non ideò humano turbarunt pectora motu
Lictores, requiemque ferì, dum certa trahatur
Ad loca ſupplicij, (ſteterat nam forte cadenti
Illa gradu) prohibent, cumulantque in funere mortes.
Hanc ſequor,vt pietas,& forma decora trahebat
Virginis,atque potens longè ſuper omnia Fatum.
Eſt locus effuſo quantum fas currere telo,
A tecto procul ingenti,quà ſubdita lapſu
Exiguo deſcendit agri ſuper æquora vallis.
Planities immenſa patet, iuſtamque putares
Immenſo ſceleri. Stetit hic cum Virgine dirus
Lictor, ita infandum iuuat ordine ducere crimen!
Non lachrymis rigat illa genas,non pectora vanis,
Non quod reſtat adhuc canit vltima vota, preceſque,
Inuictuſque animus mentes quaſcumque moueret,
Clotharium præter,Fratremque truceſque miniſtros.
Tum decor extremus ſolito magis ore refulxit.
Solis in Heſperias ceu dulciùs eſſe cadentis
Sueuit lumen aquas, repetunt cum ſydera munus
Dilatum,premiturq; Dies moribunda tenebris.
Marmorea tum læta manu, niſuque citato
Velamen flauo nitidum de vertice fudit.

Vidit

Vidi equidem,& perij. Verecundæ gratia frontis
Longius emicuit, patefactaque ſcena decoris.
Reſtitit in medio venerabilis æquore Virgo
Reginam ſe,faſſa gradu, certamque nefandæ
Sedem cœdis adis. Nec me dolor, inquit, acerbæ
Mortis agit, ſed quod vinclis rapuiſſe nefandis
Neſcierim inſontes. Vix hæc effata, genuque
Fudit humi duplex, pronumque in candida collum
Pectora compoſuit. Tum me furor egit in hoſtes
Secum aut felici ſubiturum funera caſu,
Siue Procuſtæis, vt nobilis hoſtia ab aris
Me Duce diffugeret: Venienti occurrit iniqua
Carnificum de plebe, genis teterrimus vnus,
Etſibi par tantùm. Tum quid temerariè tentas
Clotharij nutus, Chilpericique verendos
Sacrilega turbare manu? Cui nulla remitto
Dicta,ſed infixum medijs ceruicibus enſem.
Non interdictam per cætera corpora ſtragem
Proſequor,atque humeros viliſſima turba fugaces
Ocyus inuertit, pauciſque ſub inde peremptis
Vincula lacteolæ reſeco crudelia dextræ.
Mox,vel abire precor,vel ſi ſedet vlla voluntas
Triſtibus indignam fatis producere vitam,
Mecum eat in ſedes,quo non venit vlla, remotas,
Ira Tyrannorum. Tum vocibus illa benignis
Queis domitum æterno fodit mihi vulnere pectus,
Quod non ferre pares tibi, Virgo miſerrima,grates
Poſſim,inquit,doleo,noua cauſa doloribus hæc eſt.
Iam venit extremæ triſtis magis hora quietis,

Ingratæ nam inuita notam cum morte ſubibo.
Sed tecum captare fugam, poſitoque pudori
Indecorem præferre diem, profugamque vagari
Deteriùs mihi morte venit. Tunc acriùs inſto,
Neque equitem timeat, quem nobilis edit origo.
Me famulum, credas, Virgo ſublimis, habebis,
Victima,& vſque tui veniam,moriturus, honoris,
Donec ſecuris reddam te ſedibus. Ipſi
Clothildæ iucunda adeo,laudataque multùm
Confugies. Viſa eſt animum reuocare pauentem
Nomen adoptatum. Duc,ò duc optimè dixit,
Iàm nimis illata eſt generòſæ iniuria menti.
Duc vbi fas nondum communi crimine preſſas
Deſeruit Terras,meliori redde Parenti.
Sic ait,vtque fugam maturo à tempore raptam
Aggrederemur,Equum non eſt me paſſa morantem
Linquere, in extremum ſed proſilit impigra tegmen.
Inuehimur rapido per prata iacentia curſu,
Deſerimuſque ſolum ſæuorum Regna Procuſtum.
Donec in æquoreas vaga fulgura condidit vndas.
Cognatis afflata rotis, procul Orbe remoto
Sol,prima aduerſis, & lumina tranſtulit Aſtris.
Inferimur paruo, quod ſors dat amica, mapali
Semotæ regione viæ,qua nulla profanæ
Gentis,& vrbani veniunt comercia Mundi.
Hic igitur feſsi ſub ſede quieuimus ambo
Diuerſa exiguus nam ſcindit mœnia trames,
Diuiditurque Domus: Placuit retinere per omnem
Arma humeris noctem,quò tutior illa cubaret.

O fe-

O felix nullis vmquam ceſſura diebus
Nox,mihi candentis ſignanda decore lapilli,
Qua licuit ſomnum hunc oculo vigilante tueri?
Quam tibi prolixi poſthac per ſæcula menſes
Inuideant,non illa tamen mihi gaudia reddent.
Non ſecùs Inachidis centeno lumine furtum
Texit Ariſtorides,falſique Tonantis Amores.
Hinc Atlantiaden hoſtili voce canentem
Exaudiſſe luit ſecta ceruice. Redibat
Aurea lux Orbi, Polus vnde ſimillimus Argo
Lumine multiplici Cyclopam imitatur in vno:
Cum miles ſtetit ante fores, pugnoque caducum
Impellit quatiente latus. Me limine ſiſto
Protinus in medio,Quænam ò mala dextera,dixi,
Auſa peregrinæ tantùm inſultare quieti
Auſa mea eſt,inquit,nil territus ore, latenſque
Virgo mihi petitur,quam tu rapis improbe. Redde,
Redde,vel armati vires patiere lacerti.
Sed non paſſus ego conuicia dira minantis,
Nec reſponſa dedi,reſponſa ſed enſe remiſi.
Suſtinet at capulo venientem cominus ictum
Miles,ibi immiti ſerimus certamine dextras.
Iamque viro ſanguis latere è madidante fluebat,
Tingebatque ſolum. Tamen acrior ille cruore
Reſpecto,Aut,inquit frendens modo barbare lethum
Dulce dabis, Nyſamue meam. Mihi cognitus error,
Tum patuit, ſed enim, fortiſsime, falleris, inqui,
Nec mecum tua Nyſa latet,nec Principe duxi
Dignum vnquam ignotos furari Virginis artus.

Crede

Crede mihi, si non vis credere, crede Mapali,
Quò mea Virgo latet, certe tibi cognita numquam,
Luminibus iam crede tuis. Tunc ille teneri
Se ratus insidijs in limen agreste recedit,
Suspenditque fidem. Dum bina cubicula lustrat
Nullibi virginei patuerunt fulgura vultus.
Prodimur, exclamat, rursùsque manu explicat ensem,
Prodimur, exclamo, pugnamque libentiùs edo.
Ambos vrget Amor, vesanaque gaudia mortis,
Quàm, vel vterque quidem, vel saucius ille tulisset,
Ni strepitus volitantis Equi per aperta vocasset.
Egredimur, mæstaque Virum cum Virgine euntem
Cernimus, Ignoscas furijs dementibus, oro,
Tum meus hostis, ait, rapit hic mea gaudia Nysam,
Atque negat cursus tardum mihi vulnere corpus.
Ast tu, quem melior scelerata à cuspide Virtus
Incolumem eripuit, generosa obliuia læsum
Pectus, Io, doceas, equitemque morare rapacem.
Nec mora, prosilio, & dubium quò tendere cursus
Debeat, arripio frænis, & reddere Nysam
Ingemino, negat ille furens, gladioque reducto
Bella mouere parat, dirus sed mucro priusquam
Exeat, infixum condo capulo tenus ensem,
Qua latus exurgit rabidum. Ruit ille simulque
Virgineos caderet, simul immoriturus, in artus,
Complexus ni fortè forem; gemino inde lacerto,
Elatamque sinu, nondumque pauore redemptam
Occupo, & infirmo gratum gero pondus amanti.
Ille sed effuso iam languidus ora cruore

Com-

Compoſuit tellure caput, lætuſque recepta
Virgine, ſe potiùs mihi quàm hos cumulare dolores
Teſtatur voluiſſe mori ; Tum ruſticus hoſpes
Aduenit, atque fugam quæſitæ Virginis edit.
Ipſe Ego per tacitos, patulo quos terra receſſus
Ore facit, trepidam ; Diuoſque homineſque rogantem
Deduxi, iàm cerne ſpecus. Simul axe recluſo
Explicat exiguæ tenebroſa voraginis ora.
Accliuis denſa tegitur caligine limes,
Ancipiteſque trahit per cœca ſilentia greſſus.
Nunquam, aut exoriens, radioſue ſub æquore mergens
Sol nigra perpetuæ loca nocti habitata reuiſit:
Nec licet hinc illinc geminos laxare lacertos,
Parca ſed vnitis vix ſufficit artubus ædes:
Is prior infertur cœci per tramitis antrum
Excipiens ſilicis concuſſas ære fauillas,
Et face diſpellens tènebras, tandemque recurrens
Cunctantes humeris fata conſcia Solis ìnimus.
Sic Arethuſæos per hiulca foramina greſſus
Ad ſuperos, quo Tartaro iter facit alta vorago
Ortygia regione ſequens, Terriſque remotis
Quæſijt, amiſſoſque incaſſum Alphæus amores.
Hic, bonus hoſpes ait, petijtque habuitque ſalutem.
Hæc tibi ferre iubens ſi te per atrocia mauors
Prælia non meritum mortalibus eximat auris,
Me quoque quæ vitam tibi debeo, quæque Pudorem.
Crede ſecuturam. Quod ſi tibi maxima Virtus
(Sic ſperare iuuat) cumulabit in hoſte triumphos,
Iam tibi regalem noxas pulcherrima Vitam,

De-

Deberique tuo ſceptra Aureliana labori,
Nam Chilperici proles Ego prodita Regis,
Sic ait,& digitis gemmam,quam cernis eburnis
Detraxit,donoque dedit tibi blanda ferendam.
Inde tuum conſcendit equum, quem fortè vagantem
Non procul aſpexit gaudens,multùmque per amplos
Quadrupedem permiſit agros,oculoſque refugit,
Dum vos terribiles contunditis enſe furores.
Sic fatus ſenior dextra hunc mihi protulit Orbem.
Ergo locum repeto,ſed non per hiantia mortis
Atria,quà Iuuenem abſcedens,Comitemque reliqui
Hos Ego felices,ſolumque dolore dolentes
Linquo meo, iuuat hinc comprendere amœna latronis
Alipedem per prata vagum,Dominique recentis
Iuſſa recuſantem. Multas ibi copia felix
Per lacrymas retulere vale de caſſide miſſum.
Ergo Pariſiacas ſperans tenuiſſe fugacem
Camporum per aperta vias,huc calcibus actum
Quadrupedem ſtimulo, tandemque ibi redditus alto
Graſſantem fremitu, diriſque tumultibus Vrbem
Inuenio,bellique trucés ſæuire paratus.
Viſa Auiæ refero, quæ te ad tua Regna vocari
Imperat, & totum quæri gemebunda per Orbem.
Obſequor, & notas ad littoris illicet oras
His rapior ſocijs. Nobis iter ecce peractum.
Nec dum finierat, cum colla ineburnea fuſus
Clodius æquæuos demiſit ad oſcula vultus.
Sæpè fidem extollens Numitoris, ſepe ſuperbis
Iratus Patruis, quod ſic impunè fugatam

Sta-

Statildam premerent, multum miratus iniquas
Frangere conatam per tanta pericla catenas.
Tum ſic dicta refert. Quòd me fidiſſime totum
Lætus quæſieris generoſo errore per æquor,
Non erit incaſſum, ſique olim Numen amicum
Tot mala ſuſpendat, meque in mea regna remittat,
Curarum, ſceptrique mei ſis, optime, Conſors.
Quæ cupis interea iungam connubia (mentem
Si benè perſpexi dicta ad præſentia amantem)
Et votis potiere tuis. Hæc ore profatus
Corde iterùm memori ſibi fata inimica reuoluit.
Erubuit Numitor quòd Regi incautus amores
Prodiderit, nec tale decus meruiſſe fatetur,
Vt ſibi deflueret regali è ſanguine coniux.
Atque ea dum mixtis pariter ſermonibus edunt,
Toto nocturnus pelago ſuper ingruit horror,
Vtque datum ſatis eſt Cereriq; hilariq; Iyeo,
Diffudit placidam per corpora feſſa quietem.
Quam tamen exturbat maris æſtus, & æquora verſans
Africus. Is celeri raptam per cærula flatu
Reddiderat Patrijs Reginam denique tectis.
Lætantur reduci per compita aperta, lareſque
Celſos mille faces, gratantum mille tumultus.
Ardet ouans Pontus, gremioq; profunda mouente
Iactitat expulſæ ludibria dulcia noctì,
Dum recipit varios, multùmque reduplicat ignes.
Non tamen illa valet læto populique pijque
Occurſu gaudere Patris, dolor oſſibus ingens
Stridet, & infixum ſub amanti pectore vulnus.

Eximitur dapibus, quas regia menſa pararat,
Ceu nimis implacidi turbata tumultibus Alti:
Ipſa ſuam retegunt ſimulata & gaudia fraudem,
Turbatique maris non lumina vertere ad oras
Auſa, ſuæ ſpectet ne dira pericula vitæ.
Poſtera tunc etiam cum primùm affulſerit Eos,
Principibus præfixa dies, qua bella cierent
Ludicra, ſed verum nimis expreſſu Gradiuum.
Nec caruere tubis ingentia feſta, ſuiſque
Littora Miſenis, latitantia littora pulſant
Grato Oricalca ſono, Tritonaq; voce laceſſunt,
Heu quàm dura leui iuſſurum prælia Nereo?
Prælia liligeræ iamdudum indicta Carinæ.
Improbus ille furit, tempeſtatemq; reſoluens
Pallentes terrore nouo caliginis auget
Nocturnæ tenebras. Iterato fulmina lapſu
Circumeunt victam pauidis Rectoribus Alnum.
Non tantum impulſæ furit vnda proterua Maleæ
Queque vorat montes horrenda Charybdis aquarum,
Sed rapit iratum furor implacabilis æquor,
Pronus & in varias it ventus, & vnda ruinas.
Nulla fatigatos moderatur dextra rudentes,
Nulla tenet clauum, nam clauum euertit, & omne
Iam mare conſilium, propulſaque Lilia ventis
In famulum cecidere fretum ſimul addita malo.
Denique fumantes pelagus ſuper ingerit vndas,
Impulſuque graui quaſſata carina fatiſcit.
Nec locus effugio reliquus niſi parua phaſellus,
Quam propius ſors ipſa tulit, Dominoq; notauit

Au-

Aurelianus & ipſe ſequens. Committit hianti
Princeps membra ſalo, productaq; funera damnat,
Nil vbi iam miſeris remanet niſi funus amandum;
At molli Hermenegilda toro, licet anxia, torpes,
Dilectum dum ſumma Caput diſcrimina tangunt?
Is ne Amor? hæ lacrymæ ſuper inuida cærula fuſæ,
Effugeres rapidis cum vela morantia velis?
Ille licet fato iam proximus edit amica
Nomina voce tamen, Clothildaque mater, & vna
Hermenegilda ſonat, frater ſonat ore Tebaldus,
Gottarduſque minor. Quòd me, mea deſerat ætas,
Non piget, ò ſuperi, pluſquam mea fata merentur
Dulce venit funus, ſalſo licet æquore ductum.
Ante meos auidis quam cernere detur in vlnis,
Vltricemque animam rabidos effundere in hoſtes,
Poſſe perire queror. Tamen hunc quoq; corde dolorem
Suſtineo, multumq; premam, ſi Numen ab alto
Hæc olim decreta tulit. Conſtantia mentis
Haud vnquam ſeiuncta comes. Sic fatur, & artus
Parua per exigui diſtendit corpora ligni.
Aurelianus adeſt lacrymans, nimiamque ſenectam,
Viuacemque animam tardantibus exprobrat Aſtris.
Aſt ingens concuſſa Ratis, compage ſoluta
Errat, & heu miſerum ſine Patre, & Rege vagantem
Iactat in vndoſis Numitorem ſæua procellis.
Magna mole tamen dum concipit hactenus Euros,
Velorumque vices peragit latus, arripit vndas,
Et lucratur iter, pauco mox tempore Terram
Impulit, & bibulæ gremium colliſit arenæ.

Inclamant Nautæ, Iam ſpes fugit alma ſalutis,
Præcipitemque Goas prora ſe mittit ab alta,
Axe ſimul rapto, quo fata ſuprema natando
Proferat. At fidum cum iam veſtigia littus
Poſſe pati ſenſit, prohibent ſpectare tenebræ,
Clamat, Io ruite, ò ſocij, mecum eſte, ſalutem
Fortuitam inueni, ficcoque in littore ſiſtor.
Vocibus his exciti omnes, nautamque ſecutus
Primus ijt Numitor, ſeſeque per aera cœcum
Librauit, corpuſque ignotæ tradidit actæ.
Securus tunc ergo ſui de Principe rursùm
Sollicitus queritur, quem nupercymba recepit;
At non ille ſui compos, nimioque ſubactus
Aequoris aſſultu moribundum blandus ad Aſtra
Os tulerat, feſtinatæ ceu munera mortis
Posceret. At ſimilis, ſenſuque exutus, & auræ
Immemor Aureliane diu ſuper incidis olli.
Sic in ſaxa volant, qua proxima littoris ora
Prominet; impulſa lacerantur lignea caute
Texta, inimica latus tunc obruit vnda, nec vllo
Auxilio retinente ruunt, multamque receptant
Labra Thetin. Dubiæ, iam proxima crepundia lucis
Auroram Cœlo extulerant, cum turbidus aer
Nec ſignat perijſſe diem, nec cedere noctem.
Sed tamen ancipitis malè certa fauilla nitoris
Prodidit in medio iactata cadauera fluctu
Vicinæ Cauti. Sedet huius vertice ſummo
Vota, preceſque Deo felici gutture ſoluens,
At cui reſtat adhuc iuuenilis gloria frontis,

In-

Incola ſemoti diuinum pectus Heremi.
In mentum profuſa cadit, ſed flore Iuuentæ
Barba nitet, flauique hirſuta modeſtia crinis.
Ocyus ergo volat, madidoque in funera iunctos
Occupat amplexu, dum rurſus in obuia currunt
Saxa, peregrinaque pius componit arena.
Tunc hauſtum conatur aquæ reuocare nocentem,
Atque Ducem, ſimilis præferri debuit ætas,
Extollit, pedibuſque tenet, tum fluctibus æquor
Refluit egeſtis, poſſeſſaque pectora linquit.
Vtque virum inſpexit vitam trepidante fateri
Cum gemitu, officium ſeniori indulget amicum.
At poſtquam ore pares hauſere, quiete refecti,
Atque datum ſenſere diem, perſoluere grates
Conatur meritas Princeps, ac talibus infit.
Quæ precor, ignotæ venerabilis hoſpes arenæ
In miſerum, quem Pontus agit, Telluſque, Poluſque
Permouit Pietas? an vt ad peiora reſeruer?
An quia ferre negans inuiſum Patria Tellus
Me facit æquoreis onus intolerabile Regnis?
Quicquid id eſt, ſit pœna mihi, ſit præmia Vita,
Hanc tibi deberi, Vir fortunate, fatebor.
Ille refert, placidæ venit aptior hora quieti,
Quàm verbis, nunc eſte meis onus ambo lacertis,
Nec procul hinc parui ſurgunt mihi tecta mapalis;
Hæc inter dextram Seniori præbet, euntem
Namque videt Iuuenem, nulloque iuuamine egentem.
Parte alia ignotum Numitor veſtigia circum
Littus, & errantes deuæxa in margine greſſus,

Vt

(Vt primum nitido lux clarior Orbe refulsit)
Ducit, at insignes nullo cognomine Portus
Inuenit. Est tacitus semota in Valle recessus,
Vnde latus geminum magna de rupe resurgit,
Irrumpitq; Salo, Galatææ consona sedes,
Tritonumque Choris. De culmine frontis adesæ
Præcipitat torrentis aquæ christallinus imber.
Imber, ab innumeris nam vitrea dona salictis
Egerit, & totis inuitat labra fluentis,
Non ibi peruersis Maria oppugnata procelli
Exercent inimicam iram, sed limine primo
Dedisc unt Furias, placidaque in sede quiescunt
Huc vbi peruenit, scopuloque iuuante (susurrus
Flebilis ille vadi allicuit) specus omne retexit,
En ibidem exiguam cernit latuisse Carinam:
Protinus ire iuuat, vel gentis amore repertæ,
Insoliti vel amore loci, tum, Viuite, dixit,
Viuite felices, solida queis contigit æde
Ludere bella freti. Quod si modo poscimus æqua
Dicite, quæ miseros sedes habet? addite fessis,
Auxilium, rebusuemodum, galeamque profatus
Recludit. Patuere statim, patuere nitentes
Ore façes, notumque decus, gratoque tumultu,
Deuota & Iuuenem circumuenere corona.
Confestim Hersilius gressum de puppe profunda,
Audito Numiture, trahit, Comitique supremi
Principis affusus deiecto in lumina vultu
Astitit. Agnouit causas extemplo doloris
Sic prior effatus Numitor, Peiora relicto

Dam-

Damna manent Domino. Dum ne gemeremus hiatu
Aequoris ereptum, mala nempè ferenda venirent.
Obſtupet Herſilius, Nam quis tibi prodidit,inquit,
Inclyte vir,turpemque fugam,Dominumque relictum?
Pariſiosne tenet ſceleris iam Fama peracti?
Atque adeo incautos (quid enim peritura negàret
Turba ſcelus, nulluſque redux ſine Rege futurus)
Incautos fuga diripuit, iunctumque putantes
Ferre Ducem. Hinc furijs reditum crudelibus Eurus
Impedijt. Vos ò ſuperi, voſque aurea teſtor
Sydera, non menti tribuenda eſt culpa rebelli,
Sed menti. Tunc ille ſubit, ſocioſque renarrat
Errantes, Regemque vagum per aperta profundi.
At quò celſit, ait, Genitor? num ſæuus & illum
Caſus habet, Dominiq; venit cita pœna relicti?
Nulla, refert, Fortuna Patrem, niſi Principis angit
Diſcrimen, peiuſque ipſo diſcrimine Fatum.
Ille vbi victricis conamina fugimus Alnus,
Eluſumque nimis ſenſit furibundus Alumnum,
Illico Tellurem quacumque Britanna paterent
Littora, inire dedit, Londini regia ſaltem
Tecta inuiſurus. Tunc has appellimus oras;
Mox iubet ingenti componi fræna Piroo.
Suſcipit ille libens, nam cui modò terga reſeruet?
Regis obit Sortem patiens,miſerumq; fatetur
Inſueto torpore Ducem. Dirum impulit omen
Protinus Erminium,lacrimæque abiere frequentes.
Spe lethi lætatus ijt, me littoris huius
Expectate diu tereti in curuamine dixit,

Do-

Donec ad inceptum redeat vaga Delia cornu.
Tum niſi me reducem cum Principe cernitis, haud eſt
Cur vltra Erminium ſperetis. Talia fatus
Incitat alipedem, & ſe fulminis eripit inſtar.
Iamque abijt biſquina dies, ſupereſtque vigenæ
Ordo moræ. Haud paſſus Numitor verba irrita, Equũq;
Quem Pater inſtructum liquit, iubet abiete duci.
Tunc eadem mandata ſuæ ferri imperat Alno.
Tutos vſque ſinus bisdena luce tenere.
Ni redeat, dent vela Notis. Sic fatus, iterque
Oſtenſum ingreditur, breuior quà ſemita collem
Aſſequitur, mæſtoſque fugit. Geminata dolentem
Fata agitant animum, ſtimuliſque citatus acerbis
It pariter, ſonipeſque, & Eques. Non inde quieſcit
Clodius interea, quem mille doloribus angit,
Mille ferit ſors dira malis. Porrexerat aptas,
Syluestres quamuis epulas pius hoſpes ituris:
Queis in digreſſu ſummo, ſic numen ab alto
Quæſitum permittat iter, Patriæque reducat,
Pandite quæſo Duces, quæ vos Fortuna ſubactos
Circumfert? quiſue iſte genis, & fronte decorus
Aureliane refer. Stupuit ſibi cognita prudens
Ora ſenex, meliuſque ratus ſpontanea certæ
Signa dari fidei, quando irrita cura negandi,
O' Pater, haud equidem poſtquam me noueris inquit;
Hunc, Regum ſobolem, ſimul agnouiſſe labores.
Sed primò tua iure Fides hoſtilibus oris
Quæritur in miſeros. Vbi dicta nouiſſima Cœlum,
Sancijt, obteſtans Monachus, Regem ille retexit.

Hei

Hei mihi littoreæ, clamat bonus accola ſedis,
Tu Clodomiri Soboles fortiſſima Regis?
Quin age (humumque ſimul duplicato poplite pulſat)
Quin age relliquias inuiſi abſume cruoris,
Perfice vindictam Genitoris, & adde ſepulchro
Debita buſta ſuo. Didicit modò ſpernere lethum
Vita ſubacta malis, Burgundo etſi dedita ſceptro.
Ecce Sygiſmundi Prolem, Rex maxime, Elephum.
Non tulit vlterius Princeps, Terraque coactum
Surgere formoſis auidè complectitur vlnis.
Non Ego ſæuitiæ, licèt ordine ſanguinis hæres
Ingrediar, Patris venio, quin pectore ſemper
Principis ingemui crudelia fata perempti.
Sed luit illa nimis ſecta ceruice, nec vnquam
Pœnas mulctati meruerunt Pignora Patris.
Et memini; Clothilda mihi mèmorabat Elephum
Ereptum ſæuis proprio conamine fatis:
Nam Childebertus cum te mandaſſet alendum
Clothildæ, patris, fratrumque adiungere letho
Confeſtim nequijt, ſed ferri ad limina iuſſit,
Tolleret vt totam communi funere ſtirpem.
Imperat illa igitur plebeio è ſanguine ductum
Infantem, & primo non raptum è limine vitæ
Cæde truci, membris ſed frigore ſponte ſolutis
Fædari plagis, detur patumque dolentis
Stare ante ora Patris, crudeli ſtrage priuſquam
Dextram amens ſceleret. Sed te ocyus illa fideli
Committit famulo, tecumque excedere Regnis,
Mitis Edelphe, rogat, quem ſors modò cæca coegit

Hoſtibus amiſſæ ſolatia reddere vitæ.
Funera muneribus penſas, & Amorefurores.
Quin ad ſceptra redi Patruo rapienda feroci:
Nam licet ille meum, Cœlo auxiliante, Parentem
Vicerit, haud ideo patrare in regia tantum
Debuit ora nefas, clademque rependere clade;
Ipſe libens armis adero. Regnabimus ambo
Sorte pari, vel vterque miſer, vel vterque beatus:
Tunc is, vana iubes, Princeps, ſatis Orbis iniquas
Nouimus inſidias. Dabit hoc nemus illice ſeptum
Sceptra, dabuntque Feræ parua ſub cuſpide Regnum.
His crudelis Ego, donec ſatur, Aetheris opto
Regna libens tantum, nec amo extra Numen honores.
Obſtupuit ſacri veneratus pectoris Arcem
Clodius, atque virum demiſſo lumine liquit,
Saltem grata Deo pro ſe dare vota precatus.
Ergo Pedes molitur iter, ſed tardior æuo
Aureliane ſubis, feſtinantemque moraris:
Sic feſſis abſumpta dies, victiſque labore,
Apta nec hoſpitio, nec adeſt domus apta quieti.
Ergo ſpecum ſubeunt, quò ſaltem iniuria lenti
Aeris, atque rigor denſæ caliginis abſit.
Frondibus heu ſtratis corpus regale quieſcit.
Tandem lucifero nox horrida circumfuſo
Cœperat obſcurum, ſteterant vbi, cedere in antrum,
Hinc expulſa ſpecu ſub Tartara cæca fugari.
Surgunt vnanimes, & donec clarior æther
Tutum ſignet iter ſedere in vertice ſaxi:
Aſt en præcipiti per recta per inuia curſu

Cal-

Pallidus vrget Eques (patuit ſcelus ore) volucrem
Corripedem , nec fræna diu fulgentia bullis ,
Inceſſumque trucem, maculoſaque terga Pyroi
Explorare labor , ferrum ergo volatile mittit
Princeps, perq; humeros, vterumque abit effera cuſpis.
At non ille regit iam iam moriturus habenas ,
Sed tamen aſtat adhuc , geminoque à limine mortem
Pellere conatur geminum per vulnus euntem .
At redit interea percepta voce Pyrous ,
Iniuſſuſque ſuum Domino vehit ocyus hoſtem :
Principis ante pedes is corruit,atque petenti
Vnde tuliſſet Equum , quò curſum tenderet, inquit ;
Me Numen, ſi quod Numen tamen Aſtra reſeruant,
Hei mihi (nam quid adhuc peritura voce fateri
Pertimeam ?) me me ad furtum lethale coegit .
Vix hæc, & madidas ſupremum immordit arenas .
Ergo hilarem, pedibuſque ſolum lugubre terentem
Dux ſubito conſcendit Equum, tergoque ſodalem
Suſcipit, & miſerans dicit ſcelus opportunum :
Pectore multa tamen voluens, queſtuſque latronem
Occubuiſſe prius furti quam proderet ædes :
Scilicet Erminij ſonipes fidiſſimus index .
Iamque propinquabat medio Sol arduus Axi ,
Cum leue langentis murmur procul impulit aures .
Acceſſere ſtatim, nec longo tempore voces
Perſonuere Viri, quem frondes inter opacas
Mox ſpectare datum eſt, cinctum radiantibus armis,
Arduaque ingenti ſubnixum colla veruto :
Ergo fræna premunt confeſtim, ne obruta curis

Pectora, inurbano sonitu grauis vngula turbet.
Ille autem, Heu segnis, solique Cupidinis igni
Apte satis Princeps! postquam (pudet ecce fateri)
(Tantus Amor vitæ?) trepidasti occurrere monstro,
Audebis turpem demens producere vitam,
Proh dolor! externi dum gaudia dira mariti
Hermenegilda petit? Crudelia sydera tantum
Perpessura nefas! monstrumne informe coibit,
Atque lues Lybiæ, formæque adamabile monstrum.
Cerne adeo neglecta tuum Natura pudorem,
Horroris, Formæque simul si extrema cohærent.
Talia sanciisti sæuum connubia Cœlum?
Sæuum, ni rapido me fulmine trudis ad vmbras,
Sique facis, iustum. Sed te, Pater optime, tantum
Cœli depositum, superum mirabile munus
Tradere Tartareo quæ spes agit ægra ministro?
Aequum etiam incautas quandoque abrumpere leges,
Consilium mutare iuuat, si Casus, & æther
Postulet. At Leges satis æquo fædere iungis:
Si seruas promissa Viris: An Bruta dedisti
Posse parare toros? Verum heu queror irrita; habebit
Præmia triste Genus, lethumque subibit Amaldus:
Tuncita vim pressis dolor intulit improbus extis,
Vt miser immanis caderet sub mole doloris.
Et Terram vasto pepulisset pectore, amicas
Ni daret ille manus, opportuneque citato
Cornipede impulsus pariter vetuisset iniquos.
Pondere tum loricæ artus, galeæque micantis
Alleuat exiliens, animamque reducit euntem

Au-

Aurelianus adeſt, pallentique ora, genaſque
Clodius obſeruat, maieſtatemque decoram
Magnanimi teſtem cordis pius vſque tuetur.
Talis Maſſilo perfoſſus pectora ferro
Regnatas moriens olim Leo preſſit arenas.
Stat ceruix reuoluta ſolo, capitiſque ſuperbi
Ornamenta, comæ ſuſceptum in miſſile pendent.
At non vile gemit, Dominatoriſque Ferarum
Ora, minaſque tenet, ſpretaque in morte probatur.
Miratur Princeps ſimul & miſeratur Amoris
Ludibrium, ingenti quamuis Virtute verendum;
Riualemque tamen noſcens, Heu tu quoque, dixit,
Mecum infelici miſerabilis igne cremaris?
Nec mihi communes tecum lamentor Amores,
Virginis hæc Anglæ conſueta tributa repoſcit
Forma potens. Vix hæc, media orſaq; in ore repreſſit,
Namque Ducem læuo iamdudum angore ſubactum
Singultu redijſſe videt. Ne cede labori
Degeneri Princeps. Connubia turpia frangam
Ipſe libens, operiſque comes te ſubſequar alti.
Non apta eſt medicina malo, quæ conficit ægrum;
Dedecus eſt à morte modum petijſſe malorum.
Plura retexebat dictis ſolatia, at ille
Omnia contemnit, ſolaque in imagine mortis
Hærens iſta gemit. Male perdita munera teſtor
Fortis Eques miſero, & mecum peritura refundis.
Quidquid ab armato fas eſt ſperare lacerto,
A te ſpero libens, & cum modus vnus acerbis
Sint mea fata malis, generoſa à cuſpide ſaltem

Pro-

Proueniant. Tu qui fugientis ſtamina vitæ
Tardaſti, iam frange moras, iucundior omni
Mors mihi luce venit. Gemino me munere ſtringes,
Si mihi poſt vitam lethum dabis, eripe certum
Mucronem femori, cordique infige roganti.
Obſtupet immites animos, mentiſque furorem
Conatus placare trucem ſic ille reponit.
Quin age dira priùs ſubeas quàm funera, lati
Præmia ſubſidij, ſi iam licèt, vltima poſco.
Ille igitur, Quaſcumque meo latiſſima Regno
Terra miniſtrat opes, Vrbes, populoſque paternos
Exhibeo. Imperijs mihi Scotica ſceptra reguntur,
Atque Caledoniæ diſpendia maxima ſyluæ.
Elige tandem hilaris, curiſque exolue precantem:
Francus ad hæc Heros, nullum pretioſius omne
Munus habet Regnũ, quã quod modo poſcere mẽs eſt:
Vel ſi Patris, Amaldus ait, ſuccedere habenis
Exoptes, votis facilis deſcendo ſupremis.
Tunc is, nulla tui me ſpes tenet improba ſceptri.
Non adeò viles dederunt mihi ſydera cunas,
Vt peregrina vagus quæram Diademata: Vitæ
(Nam videor meruiſſe) tuæ mihi tempora debes,
Auctorique ſuo referendum eſt nobile munus.
Ne precor ingrati ſubeas cum funere nomen,
Regalemque animum regalibus aſſere factis:
Reddidit inſidijs ſuſpiria Amaldus amicis,
Et licèt inuitus, tamen annuit. Ergo ſecundum
Adde, precor, munus, tũm denique Clodius inquit,
Fare, quibus trepidat Regina obnoxia monſtris,

Et

Et cladis deprome genus. Tunc ille profatur
Præmiſſo gemitu. Duplicem diuiſa per Orbem
Inſula in immenſum ſurgens ferit Aſtra cacumen,
Et duplici ſignat ſeiunctas nomine Terras.
Quas totidē numreat ſceptris. Tenet Anglica Haraldus
Regna potens, Regumque pios ſibi iungit Amores.
Scotica Rheuterus, de quo me ſydera lucem
Accepiſſe volunt. Ergo is felicior omni
Progeniem Genitore tulit, lumenque caducum
Hermenegilda ſubit, ſequiturque Edemundus in vnum.
Iſte nitor Iuuenum, Terræque, ea maxima Cœli
Gloria, tam dulces niueo gerit ore colores,
Inceſſuſque adeo ſuperis par, pectus honeſtum,
Regia vox, geminumque micat de lumine ſydus.
Dum canit hæc, vultu turbatur Clodius. Iſque,
Quidnam importuna, ſequitur, tibi voce reuoluam
Fruſtra animi tormenta mei? ſe & iſta neceſſe eſt
Scire prius quàm iuſſa edam. Formoſa Procorum
Mille patet votis Virgo, nulliq; ſuperbum
Flectit Amori animum. Iacit inde modeſtia victrix
Maiores infeſta faces, petiturque negatum.
Hos inter pulchris pepulit mihi corda fauillis,
Aeternumque mori iuſſit. Nam miſſus Hiberno
Aemulus orbe venit, cui diſſita Patria nomen
Olim Edani gentile dedit; Regalis origo,
Regales titulos ſi barbara Terra meretur:
Tales credo equidem caput explicuiſſe Gygantas
In Cœlum, vaſtos trepidarent cum Aſtra lacertos,

Cum-

Cumque ſuperpoſitis veſani montibus Oſſæ
Sperauere Deos. Immani vertice quemque
Præterit, & reliquis villoſo pectore ſupra eſt:
Horrebis monſtrum, Furit ergo, & Virginis intrat
Ambitione toros, & ſpe iam deuorat omni.
Nec ſpes vana oritur; caſuſque, inimicaque veris
Sors meritis admouit opem. Maria alta pererrans
Hermenegilda Italas cum Fratre adnabat ad oras.
Luſtratura omnem Heſperiam, portentaque Mundi
Magnificas Vrbes, atque æmula mænia Cœlo.
Cum centumgeminis immanis hiatibus Anguis
Non procul Vrbe caput viridanti fulgure prompſit;
Eſt locus, ingenti quo cœca vorago profundum
Ore fouet, fœdatque lacum, quem multa coronat
Illiceis diffuſa comis, denſiſque tenebris
Sylua, ad Auernales bene conſona ſemita ſedes.
Hinc dirum erupit monſtrum, ſolumque priore
Deterius. Squallente iubas diſterminat auro,
Horroremque parit fulgor, micat igne rogali
Luminibus crudele iubar, ſequiturque colorem
Terrificum tergus, rutilas Cœlo explicat alas,
Et lucem integris rapit horrida bellua Campis.
Senſim decreſcens facies coit omnis in vnum,
Immenſamque ſui ſinuoſa volumina partem
Caudam pone trahit. Terrore, & ſtrage cruentos
Depopulatur agros, Nemoris cultoribus Vrbes
Implet, & hoſtili violat fata læta veneno.
Iamque ſubire fores, ſæuoque incedere lapſu
Mœnia clauſa Draco ferus æſtuat, ingruit ingens

In

In populos metus, & rigidus circumtonat Horror:
Aggemis infandis ò mitis Haralde ruinis,
Excidiumque cupis, si fas, auertere Regni.
Adsistunt Proceres mixti, externique, tuique;
Quin &, Habebit, ais, caræ connubia Natæ,
Si quis inexpletum necibus communibus hostem
Exanimet, flauaque nefandum extendat arena.
Innumeris tentata fides mala sortis, at omnes
Terribili sub fauce dapes venere recentes.
Vt verò strages Edanus lustrauit amicas,
Se tandem horrendum discedere vulgat in Anguem.
Concurunt trepidi Ciues, geminique renarrant
Certamen monstri, & muri fastigia calcant:
Vt videt ire suo dignam luctamine molem,
Tum Draco sopitas cauda sibi concitat iras,
Attonitasque virente coma diuerberat auras.
Occupat ille truci latos aditus Elephante,
Nempe Elephanta imitatur Equus, quo in prælia fertur.
Tum durum certamen init, chalybisque retorquens
Ingentem clauam, fumantem incurrit in ignem,
Quem Draco luminibus, patuloque ex ore refundit.
Ter quater iste truci conatus denique dorso
Amphytrioniaden Atlantius angere Custos:
Ter quater ille manu rabidum compescuit æstum.
Assultans crebro dirum caput impulit ictu,
Edocuitque apicem Terram spectare superbum.
Colligit ego minas suprema ad fata coactas,
Orbibus & referat reuolutis bellua spiras.
Viribus has, quas ferre quidem, nec sylua trabalis,

Nec montes, ſcopuliue queant, nec murus ahenus,
Euibrat, & medium valido conamine ductum
Corripit, inque latus, quantum dimiſſa lacerto
Haſta volat, fundit. Caudæ poſtrema ſonantem
Cornipedis pepulere vterum, lethumque tulerunt.
Tum demum tutis dedit vltima ſibila campis,
Qui procul & ſubito reſponſa dedere boatu.
Ambiguumque fuit, populis quid lætius eſſet,
Siue Edani ſperata, feri ſeu fata Draconis.
Circumeunt hilares, iuuat ora cruenta tueri,
Corporis immenſos tractus, viruſque cruoris.
Non ſecus edomitum ferro, ſenioue Leonem
Turba petit nemoris, regnatriceſque reuellit
Dentibus à ceruice iubas, pauidum que ſuperbit
Inſultare Feræ ſaltem poſt funera vulgus.
Colligitur famulis Victor, ſed ſanguine fuſo
Exanimi ſimilis victi magis ora reportat.
Non tamen expirat, ſiccataque vulnera vitæ
Spem iuſſere trucis. Nondum ægra cubile ſinebant
Linquere membra, redux Italis cum denique ab oris
Hermenegilda venit mærens ibi Fratre relicto,
Qui celerem ſpondens reditum dimiſerat ægram,
Atque reluctantem fido ſine Fratre vagari.
Additur ingenti peior quoque cauſa dolori;
Quod ſe Edani thalamis audit miſerandà parari.
Exultant hilares per plurima compita Gentes,
Arma parant Equites, queis lux quoque certa iubetur.
Pugnatur, multoſque manu, licet impare ſterno,
Et caueæ plauſum, populique frequentis anhelo.

Sed

Sed fruſtra; venit ille decus compeſcere partum,
Atque ideo iuuit victricem extollere dextram,
Quo magis augeret Virtus depreſſa Pudorem.
Craſtina iamque dies poſtremo dicta labori.
825 Qua nullum aduerſum, fertur, Vir turpis habebit.
Me tamen ante truci iugulet ferus enſe neceſſe eſt,
827 Quam lugubre nefas miſerabilis Anglia ſpectet.

CLODIADOS
LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

HAec diſſerentibus nuntius refert Hermenegildam ab Hibernis prædonibus ad littus rapi. Vias partiuntur ne qua Hoſtes euadant. Vnum ex ijs Amaldus aſſequitur, & ſternit, quod de reliquis agit Clodius, dum Hermenegilda Londini recipitur incolumis. A relatione Amaldi de ignoto Equite Clodium eſſe Regina ſuſpicatur, & fidum hominem mittit, qui de ipſo quæritet. Equitum certamina peraguntur, e quibus Clodius fuſo Edano, Victor euadit. Benigne à Rege ſuſcipitur, aſt vbi ipſum agnoſcit Hermenegilda, ſpiritu deficit. Inter menſas, muſico Clodomiri fatum deplorante, dat lacrymas raras Clodius, & ita ſe prodit. Accurrit Aurelianus iamdudum ipſum quærens, quem Rex ſenior ſibi æquæuum amore proſequitur.

TALIA magnanimo, per ſingula verba frementi,
Fuſius illacrymans Iuueni memorabat Amaldus.
Ecce autem ſtimulis famulus per plana citatis
Exagitabat Equum, nec paſſus adire, remoto
Ingeminat clamore, Rapit (ſuccurrite Regno,
O' quicumque Duces, Domina pereunte, labanti)
Reginam fera turba rapit, paſſimque vetantes,
Oppoſitoſque fugæ letho demerſit acerbo.
Hanc gemini ducunt metuenda mole Gygantes.
Tuque prior Princeps, animum ſi gloria tangit,

Pe-

Pectus Io genti generosum oppone fugaci:
Infremuere pares animis, par scilicet vrit
Ignis, &, O' tandem properas bona copia mortis,
Lætus Amaldus ait, tuque, ò fortissime talem
Inuicta te pande manu. Vestigia certè
Prædonum biuium per vtrumq; tenebimus: Illam
Tu modò carpe viam, quæ per compendia ducit
Ad littus, reliquum mecum partire laborem.
Annuit, & præceps per inhospita senta Pyroum
Clodius effudit, pariterq; abiere furentes.
At Gallus peditis senior vestigia seruat
Ipse pedes, tardoq; gradu comitatur euntem,
Nec mora, terribili concurris Amalde Gyganti,
Qui sibi, consulto lentus tutanda tenebat
Compita, subsidio ne Virgo iuuata recenti
Effugeret, dubioque doles accedere letho.
Dum propè littoreas præmissus Clodius algas
Incidit in prædam, prædatoresque nefandos.
Illa Polos gemitu, & lacrymis vocalibus implet,
Hunc mixtus Pietate furor, pariterque furore
Mixtus Amor pupugit. Tum, Sistite perfida gressus,
Sistite turba, scelus non, vt speratis inultum
Ibit. Ad ignotas caput exitiale secundus
Verterat ora minas Eques immansuetus Hibernes.
Tali mole ferox ditabat corpora Tellus.
Ergo discurrere pares, hinc Clodius, illinc
Frendens ore Gygas, fragmentaque nubilus æther
Excipit hastarum. Perstringit Principis artus
Vulnus, at ille graui confossus cuspide pectus

Lori-

Loricæ ſquammas inter, geminata volanti
Limina recluſit Libitinæ, actamque momordit.
Laudauere manum, læto plangore potentem
Reginæ Comites, ſpemque inde tulere ſalutis.
Octonus Domini veſtigia dira Satelles
Seruabat, ſimul ergo Virum glomerantur in vnum.
Fecerat audaces numerius, quem protinus ille
Cogit ouans capulo decreſcere, iamque ſuperſtes
Tergeminus non bella, fugæ ſed tempora poſcit.
Iſta negat Princeps, ſequiturque citatior auris,
Poſtremumque ferit caput inter, & impia diræ
Vincula ceruicis, buſtum caput, atque lacertus
Deſeruit læuus, ceciditque reciſus in æquor,
Sed procul à domino. Reliquos tunc ille ſecutus
Ocyſor obtruncat, reditus molitus inanes,
Quà primum rabido rapta Hermenegilda Mymanti.
Scilicet illa fugam, nullo prohibente, tenebat,
Et patriam trepidans curſus vertebat ad Aulam.
Nec minus à vaſto victor migrabat Amaldus
Hoſte, ſed effuſo per ſaucia membra cruore
Languidus, & pauidæ Comes vtilis ibat Amanti.
Multa redorditus de forma, & robore, multa
De Pietate Viri, primæque ætatis honore.
Quin vultus, & verba refert, oculique colorem,
Fauenteſque comas; Hæc Principis eſſe Virago
Senſit ſigna ſui, & faciem pallore notauit.
Oppreſſumque timens prædonibus, angitur alto
Pectore, Virtutis quamuis bene conſcia notæ.
Nunquam caſta magis, ſtimuliſque inuicta doloris

Ex illo enituit, nunquam pudor obſtitit vltra,
Momentoque mori, ſtatuitque, & diſtulit vno?
Aureliane diu de Principe fide rogaris,
Nomina vera tamen iuſſum iuuat vſque ſilere.
Quin celerem depoſcis Equum, veſtigia cari
Seruature Ducis; ſed neſcius ipſe viarum
Per loca ſenta ſitu, du biæ petis oſtia ſyluæ
Vulnificis vallata rubis, deſerta dolenti
Voce reples, vanoque fatigas æthera queſtu.
Nam diuerſa tenens Londini regia Princeps
Tecta petit, plagaſque leues, atque ictibus arma
Fracta refert crebris, quin mænia vaſta priori
Ingreditur greſſu, priuataque limina complet.
Hic longo feſſus curſu latus excipit ægrum,
Incumbitque toris, hilari dum redditur Aulæ
Hermenegilda ſuæ. ſubijt vix tecta, Numantem
Mæſta iubet Regis luſtrare pericula fidum,
Deſignatque Equitem, ne fallat imago, nitentem.
Immò locum, quo pugna ſtetit crudelis, amaro
Sæpe notat fletu. Quod ſi (pia Numina parcant)
Examinem reperis, refer intra mænia pulchrum
Pondus, & optatæ da certam occumbere morti,
Nec Thysbes renouare malum. Mandata faceſſit
Ille volans, & adhuc portis bipatentibus exit.
Interea Heſperijs properans Edemundus ab oris
Inſtabiles vectante ſinus Aquilone ſecabat.
Non qualis concuſſa Aquilo confundere Cœlo
Stagna potis, ſed mitis adhuc, ſed amabilis Alno.
Tum rutilo innubem, luſtrabat lumine Mundum

Sol, mediamq; viam curru flagrante tenebat.
Cum ſimul Aeolijs contraria flamina ab Antris
Occurrere. Negant, clamat de puppe Magiſter,
Ire negant venti, portus teneamus amicos,
Nec procul inde iacet ratibus tutiſſima ſedes:
Tum premit ad dextrum, qua durum extendit in æquor
Terra latus, ſecurus iter, victorque pericli
Reddidit optatæ ſibi tradita pondera Terræ.
Struxerat vrbanis, Genitor qua Regia curis
Otia, & ingentes, nemoralia gaudia, muros.
Longius Vrbe tamen, quantùm nec quarta citatos
Sufficiat perferre dies. Hic feſſa periclis
Membra leuat Princeps, patriiſque dat oſcula Terris.
Inuiſæ tum damna moræ, pelagique labores
Lætitia penſare iuuat, variaſque viciſsim
Inſtaurare epulas, meritiſque accumbere menſis.
Quiſque iacet ſua vota Polo, Ventoſque fauentes
Exorat, facilemque viam, celereſque recurſus.
Vix dapibus ſatturata fames, &, Ferte canoras,
Dixit, ferte lyras, mentiſque leuate dolores.
Hoſpita tum vario perfundi mænia cantu,
Ac taciti deſerta ſoli miteſcere. Littus
Perſonat omne cauum, mediis Nereides vndis
Reſponſant, luditque micans ſuper æquora Delphin,
Eheu venturi prænuncia bellua Fati?
Inuidiam peperere Poli tot gaudia, cantus
Hos ſuperis fecere graues, fecere nocentes.
Tum quia ſic placitum Cœlo, furibundus ab acta
Nauta venit, ſocioſque vocat, Quid perdimus inquit,

Vel

Vel modò conceſſi felicia tempora curſus.
Si libuit cytharis tantùm indulgere ſonoris,
Soluere quid iuuit patrio de littore claſſem?
Vocibus his properatur iter, proh ignara malorum
Gens, & vicini nihil heu præſaga pericli!
Tum fidibus longam tribuerunt brachia pacem,
Flebilis vnde ſonus nullo cogente receſſit.
Raptim turba ruit, nam littus amabile abhorret;
Soluitur inuitus ſecuro è margine funis,
Dum nodos laxare negat, mox remige Pontus
Pellitur, immenſumque placet ſuperare profundum.
Hactenus at curſus dederat Fortuna ſecundos.
Cum ſubito horribilis volitare per aera nimbus,
Ducere per totum nebuloſa volumina Olympum.
Vnda perhorreſcit, mugitu littora rauco
Pulſa fremunt, velis ſimul aura ſecunda rebellat.
O' equidem malè fida nimis, bellique tumultu
Aſperior quocumq; quies! grauis incubat Orbi
Caligo, turbatque diem, tum maximus imber
Detonat, inuiſam quandoque ardentia lucem
Fulgura demonſtrant, coguntque adamare tenebras.
Arma ſonant diuina procul, propiuſq; minari
Incipiunt. Quaſſat male conſcia pectora Terror,
Et meritum ſe quiſq; putat. Tamen Aeolus atra
Nondum crudeles reſerauerat Arce furores.
Tum triplices frangunt valuas, & prælia Nereo
Horridiora mouent, quàm cum remearet ad Argos
Mirmidonum, Dolopumque manus, Priamoq; ſubacto
Inuidiam Superum, placuit queis Troia, referret.

Per ſenos ſine lege dies errauerat Alnus
Aequoreis iactata vadis, cum denique mœſtam
Lux exorta Polo profudit ab æthere flammam,
Gallicaque è vaſtis promiſit fluctibus arua:
Nec ſpes tracta diu, ceſſit Fortuna verendis
Cernua littoribus, tempeſtatemq; remiſit:
Hæc inter lituis, queis tympana mille boatum
Permiſcent, ſolidis ceu percita fundamentis
Mœnia Londini, venientia prælia motu
Præſenſere graui. Lœto mora iuſta labori
Luſtrati Hermenegilda fuit maris acta tumultu.
Denique purpureo circumuelata nitore
Expectata diem profert Aurora comantem;
Frænaque præpetibus paſſim curſoribus aptent,
Blanda iubet, Francique mouet quoq; pectora Regis:
Qui lacera arma nouis immutat, ahena coruſcum
Tum caput arma grauant, & caſſida crinis inaurat:
Verſicolor vertex petit Aſtra, diemque ſalutat
Aſſiduo nutu, & latè mirantia luſtrat
Agmina. Sidonijs ſaturata liquoribus ardet,
Et Tyrijs laſciua chlamys, quam fulgidus ambit
Orbiculos imitans ſerie bipatente Pyropus.
Alipedem color ipſe tegit, cui nomina quondam,
At modò conſurgens decus inuidet ipſe Pyrous:
Nempe Therapnæum ſic tergore vexit ouanti
Cyllarus Oebalijs multùm tumefactus habenis
Caſtora, Ledæi non vltima portio voti.
Et iam diſpoſitis obſederat vndique turmis,

Et

Et varium implerat numeroſa ſedilia vulgus.
Ipſe Throno reſidens vicina monebat Haraldus
Tempora concurſus. Seruat pudibunda paternum
Hermenegilda latus, vireſque in bella feroces
Diſpenſat facili intuitu: Tum denique totam
Oppleuit caueam, populumque exterruit ingens
Ore Edanus, campi ſeruator, & omnia ſolus
Prælia ſuſcipiens; ea nempe ſuperbia monſtro.
Aequor primus init propiori ſanguine Regem
Contingens Odoardus, agit candore niuali
Quem perfuſus Equus; Longè fortiſſimus omni,
Si tamen humanum pugnare daretur in hoſtem.
Protinus incurrunt, riſuque ſuperbus amaro
Se contemptum Edanus per talia bella fatetur.
It tamen, & trunco Iuuenis ſic ora trabali
Impulit, vt caſu rueret concuſſus acerbo.
Cambriaca ſubijt mox è regione Tyrannus,
Carus Haralbo adeo Gulielmus, & vnus (Amaldum
Si non connumeres) meritiſque, & amore verendus.
Olli cœruleos adamabile ſyrma per amnes
Exundat, luditque humeris, ſimiliſque volucrem
Palla obnubit Equum. Feruentibus ora lupatis
Excitat, & maculis corpus bicoloribus ambit.
Forma decens, Equitiſq; & equi, queis cuncta fauorem
Corda ſuum tribuunt, plauſuſque ſequuntur euntes.
Laomedontæis ſoboles Neptunia muris
In Lariſſæum ſic arma ferebat Achillem.
Ille quoque immani victus modò turbine dextræ
Corrueret, pennaque exiret in Aſtra recenti.

VI, 31, 32.

Infremit his Edanus, quin tu mihi perfide pœnas
Semiuir exſolues, iam, dum potes, arripe laudes.
Sic ait, & rabie qualis maculoſa Draconis
Ora ſubit, pulchrum verſa trabe currit in hoſtem.
Tranſabijt coſtas, & membra niualia cuſpis,
Vulnereque informi pectus reſerauit honeſtum:
Concidit ergo, & tota ſuo rigat arma cruore,
Labentemq; animam patriæ commendat arenæ.
Circumſtant pauidi Comites, galeaque recluſa
Vicinæ lugent pallentem funere mortis,
Et tabum paſſim reccomentem in tecta reportant.
Flumina continuò populi de mille popoſcit
Luminibus, Regiſque, Virì miſerabile fatum.
At iam de geminis oculorum fontibus ignes
Compenſa Gulielme tuos, tandemque quieſce.
His quoque Riuales miſeri, quin Clodius olim
Inuideat fatis, quibus Hermenegilda ſuperſtes.
Ipſa parentales lacrymis tibi regia Virgo.
Extruit exequias, ſolamina dulcia Amanti:
Ipſa latus nudat moribundum, ſique Pudoris
Linquat inoffenſi decus, oſcula cara fugacem
Exciperent animam, & peteres fœlicior vmbras.
Non tamen extemplò vitalibus exijt auris,
Inque breues vitæ exiguam ſpem diſtulit horas.
Interea Plateæ dedit angulus alter acerbæ
Vltorem ceu mortis equum, quem palla relapſu
Nigra tegit, nigrumque equitem vehit ocyor Euro:
Et niſi mortis erat, morituri triſtis imago
Illa fuit. Rapit æquor hians, haſtæque potentis

Im-

Impulit immenſum generoſa cuſpide pectus.
Inſolito titubat percuſſum turbine monſtrum,
Inclinatque apices in poſteriora refuſos.
At ſimul impulſus ruit alter, & ore caduco,
Sit licet effuſus, non ſaucius inſtat arenæ.
Obſtupuere omnes, vbi rapta caſſide Amaldi
Enituit facies, heſterni pugna Gygantis
Cui penitus rapuit fuſt cum ſanguine vires.
Ipſa Equitis Virgo virtutem, & laudat Haraldus,
Magnanimumque ferunt nimis, oblitumq; ſalutis.
Debilis ergo magis ſub tecta reducitur audax
Scotus, & aduerſæ damnat conamina ſortis.
Non tulit vlterius fera probra recentis Amici
Clodius, & fortem pepulit per aperta Pyroum.
Qui crebros ſtimulos iam dedignatus in altum
Se tulit, & celeri præfixa repagula ſaltu
Tranſcendit, ſolitæque dedit præſagia palmæ.
Vix oricalcha ſuum percuſſa dedere canorem,
Vix populus ſubito conuerterat ora furori,
Fragmina in Aſtra volant, nebuliſq; infixa putares
Attonitis, tardante adeo cecidere recurſu.
Impetus hinc illinc crudelis, ephyppia Francus
Anteriora ſinu, at pluma nutante ſalutat,
Et capitis fido commendat pondera collo.
At ruit ore Gygas, ceu fulminis igne ſubactus,
Ignotamque nouus pugno proturbat arenam.
Victorem læti caueæ reſonantis Amores
Excipere Ducem, iuuat ire, artuſque tueri
Dignatos tam forti anima, vitamque precantur.

VI 40 (Tasso)

Con-

Conſumitque diu longum bona gaudia votum,
Dum vultus negat ille oculis. Tandem ora retexit
Fulgida, & intonſum per terga micantia crinem
Auratum in nimbum fudit; noua cauſa Iuuentus
Florida lætitiæ Gentis venit, æthere miſſum
Aligerum, furibundum Edanum, qui vinceret, edunt.
Non expectatæ nouit vaga fulgura frontis
Hermenegilda priùs, quam ſummam inuaderet Arcem
Ille gradu, luciſque ſtatim collapſa refugit
Vſum deficiens, paulumque morata reuixit.
At non ante tamen vires languore recepit
Conſumpto, ad ſolium quàm Clodius iret amatum;
Succiduoque genu quæſita repoſceret vltro
Præmia, tum gremio ſublimi è ſede refuſo,
Dum de more grauem victori innectere collo
Incumbit torquem, lacrymarum gurgite fætis
Luminibus ſic orſa loqui, quaſi laudibus aptis
Heroa efferret, ſatis eſt, non ægra ſubibo,
Te ſemel inſpecto, Princeps fidiſſime, lethum.
Opportune venis inuicti pectoris Arcem
Conſtantem lapſu commendature, ſupremo:
Ille refert, ſi cauſa tui, pulcherrima, luctūs
Eſt Edan us, leuis illa mihi, ſuperandaq; reſtat!
Hæc inter (nam dulce negat reuerentia tempus)
Deſiluit gradibus, turbiſque ſequentibus extans
Poplite ſublimem veneratus adiuit Haraldum!
Victorem cecinere turbæ, gratoque tumultu
(Formam adeo laudant) extollitur Angelus Anglis!
At non ille diu ſolio cunctatus in alto,

Ob-

Obuius it Iuueni ſuper ora humana ferenti
Inſignem faciem, placidiſque amplectitur vlnis
Natales efferre rogans, Patriamque, lareſque,
Feliceſque plagas . Nec enim tibi degener, inquit,
Sanguis eat, virtuſque accuſat magna Parentes.
Nulla mihi priſcis deſcendit gloria rebus,
Heros Francus ait, nec patria nomina laudes
Tranſmiſere meis, mihi prima, atque vnica fulget
Dextera nobilitas, quam tu Rex optime vincis
Muneribus, nimiamque facis . Iam nutibus adſum
Qualiſcumque tuis . Quæſita referre neganti
Rex æuo ſapiens repetita haud voce laceſſit,
Sed varijs Iuuenem ſermonibus abſtrahit, ægro
Funera nunc deflens Gulielmo inſtantia, diras
Nunc Edani furias, modò pœnas ſerò ſolutas.
Multùm ſollicitus quòd connubialia Natæ
Gaudia terribili meruiſſet robore Monſtrum.
Talia dum referunt, excelſa per atria greſſum
Incomitatus agit, furijſque agitatus Hibernus,
Plurima luctificis præmittens murmura labris.
Aſt vbi dira tulit proprius veſtigia, mitem
Sic Regem affatur, Non ſufficit alta dediſſe
Præmia ſemiuiro, noſtrique laboris honore
Ignotum cumulaſſe caput, dum ſortis iniquæ
Fortuitum munus diuinis laudibus auges?
Quin age, præteriti ſi nulla eſt gratia facti,
Nec meritis venit æquus honos, deſponſa iugali
Reddatur iam Virgo toro. Me regna repoſcunt
Patria, iamdudum delicta recentia læſo

In-

Ingratas fecerè moras. Fremit ore frequentum
Concilium ſublime Ducum, multumque moratur
Attonitus reſponſa Pater, mentem excutit omnem,
Promiſſique tenax Regum de more voluntas,
Inque vicem Pietas ſobolis; Tum Virginis ad cor
Sanguis ijt, vultuſque niues palleſcere iuſſit.
Sic Acherontæo raptanda Proſerpina curru
Horruit, & Venerem, dedignantemque Dianam,
Et Pandionij, quæ rexerat ardua muri
Culmina, Virgineo reſpexit Pallada fletu.
Mota rotis Aetna eſt, dum clamitat illa profundo
Incuſtoditum vectigal itura Tyranno.
Ad miſeranda Virum nullus ſpectacula frontem
Continuit, faciem reſpexit Gallus amatam
Princeps, occurſu ſteterunt vtriuſque dolenti
Lumina, ſubſidium quaſi poſceret altera, & alter
Ceu veniam tacito certam ſermone rogaret:
Ira, Pudor, Pietas, Rabies, Amor impulit omnem
Vno, eodemque animum ſpatio, pariterque per ora
Talibus exiliere ſonis, Patientia Regis,
(Nam quid diſſimulem? nimium te perfide tollit.
Te facit audacem Pietas aliena, furiſque,
Quod ſemper impune furis. Scelerata perempto,
Scimus, ab Angue quidem fomenta ſuperbia ſumit;
Quem prius horrendo viciſti luride rictu,
Quam bello, fortique manu. Sed nempe fatemur
Congrua geſta tibi, tantumq; decentia Monſtrum.
At non iſta ſatis regalis Virginis alto
Coniugio veniunt, quod nec tibi ſolus Haraldus

Per-

Permiſiſſe velit, quin nec, renuente, iubere
Talia, Prole, queat. Sed crimen, & illa perhorret,
Atque Ego ſuſceptis accedo auidiſſimus armis
Aequoris in medio ſacris te oſtendere tædis
Indignum. Stupuit, ſcopuloque ſimillimus hæſit,
Robur vbi immenſum (nam tale ſibi arrogat) vni
Contemni potuiſſe Viro, queriturque, fremitque.
Sic in Ephrateam Sochotæo iugere fundam
Tela Philiſtæum pudet obuia ferre Gygantem.
Quin ait, Alitibus mox præda, feriſque iacebis
Improbe, nec tollet frons hæc temeraria lethum.
Reddidit ille, Manus, quæ nuper ephyppia iuſſit
Linquere præcipitem, ventoſæ iurgia linguæ
Conpeſcet, meliuſque tua modò voce loquetur!
Aſt heu quam grauibus tibi pectora mota periclis
Hermenegilda ſonant; peiorque reperta videtur
Graſſanti medicina malo. Iam nubere Monſtro;
Quam pulchrum infando caput obiectare labori,
Dulcius. Ingentes blando tamen ille timores
Alloquio, riſuque leuat, dum limine ab alto
Excedens, Edanum ſequitur ſecurus euntem.
Quiſque timet Iuueni quaſi ſæua ad funera miſſo,
Tantum forma potes! miſeratur quiſque Iuuentam;
Atq; lares patrios, infeliceſque Parentes.
Rex quoque terribilis ſtupefactus pondere pugnæ
Edidit è ſummis ſpectabilis ora feneſtris
Pallidiora niuis, dum currere cœperit, amne,
Nec capitis Gnatam pretium tanti eſſe fatetur.
Interea paribus par grande cucurrerat haſtis,

Tasso VI vs.

Vmbonemque graui rutilum perfregerat ictu.
Iam cæpit res enſe geri, rapidoſque per orbes
Queritur aduerſi via ſanguinis, ardet vtrimque
Galli fortis Amor, Ducis & furor acer Hiberni:
Magnus mole Gygas, magnus Virtute feroci
Clodius, armorum numeroſa ligamina ferro
Tentat, at ille truci cunctas exaggerat iras
Impete, & effuſis exhaurit viribus artus.
Non tamen incaſſum, nam viribus incitus enſis,
Dum cauet ille oculis, fictoque tuetur ab ictu,
Principis iratum perſtringit ſorte, vel arte
Quadrupedem; furit ergo mali nouitate Pyrous
Attonitus, liquidaſque abit importunus in auras.
Nec ſedet ille diu, ſe ſeque per aera ſaltu
Proijcit, & rabidum expectat iam cominus hoſtem;
Is quoque deſiluit, peditem dum cernit, & ingens
Pugna oritur. Tali Calydonius amnis Amantem
Aemula in Alciden auſus concurrere dextra.
Summa igitur ſurgens ictum delibrat ab aure
Mentitum gladiator atrox, ictumque minatus
In caput, obliqua ferit aurea cuſpide crura.
Excipe ventoſæ ſunt hæc mihi iurgia linguæ,
Dixit. At opprobrium patienti pectore Princeps
Non fert; corda pudor ſubijt, iuſtæque voluptas
Vindictæ. Ràpit ergo manu connixus vtraque,
Elatumqne ferox gladium per inane coruſcat.
Nec ſatis ille citas ad propugnacula vires
Protulit, hinc multa mucro ceruice reſedit.
Perfurit excepta crudelis cuſpide virtus.

Tasso VI, 41.

Ta-

Talia Felſineæ pandit ſpectacula Genti
Solemni Taurus concluſus vbique Theatro.
Tum ſi forte truci ſuſcepit vulnera collo
Immugit ferale gemens, & ſæuus in auras
Cornua lata vibrat, caueæ timet ordo gementem.
Nec mihi vana volant mucronis dicta reponit
Clodius. At lentis decreſcere Hiberne lacertis
Incipis, ingenti dum è vulnere ſanguis inundat.
Iamque rubet thorax, iam genua labantia torpent,
Teque magis rabies infœlix torret, id ipſum
Vinci poſſe doles, & vulnera mille retentas.
Vulnera vana tamen, capulus quibus obuius vſquè
Conteritur, genibus tum demùm tangit arenam
Prociduis, reparatque iterum de poplite pugnam.
Ah miſer Antæi forſan tibi gloria priſci,
Nempe tuis damnis, caſuque potentior ipſo es,
(Clodius ore fremens) quin deniq; redde ſuperbam,
Redde manum, vel fata ſubi. Magis æſtuat alter,
Et licet imbelli tamen arma furore reſumit.
Aſt ibi multiplici per caſſida vulnere vultus
Clodius effodit, pepulitque Coloſſus arenam.
Sic & Carpathio bellum illatura profundo
In regnata diu ſubſedit cœrula Moles:
Vitam Edanus, lucemque fugit, faciemque minantis
Exhibet æternæ dira ad compendia noctis:
Pro languore furor; non pallida morte propinqua
Sed rabie ora rigent, fuſus licet æquore, victos
Victori ſeruat ſimiles in funere vultus:
Circumfuſa ruit funeſta ad corpora plebes,

Tam XIX, 17

Tasso XIX, 26.

Et tractare graues gaudet veſana lacertorum
Exuuias, rabidumque caput, phaleraſque iacentes.
Tum demùm pleno lætata eſt Regia plauſu
Diro exuta metu, quis enim arridere cadenti
Auſit, & exanimi nondum? Redit ergo triumphans
Clodius ad Regem, quem primo in limine lætum
Cernit, & amplexus dignos Genitore petentem:
Tum ſic orſus adit, Tædas in fata iugales,
Optime Rex, Edanus defert, & libera tandem
Hermenegilda tua eſt; dixiſſet tum quoq; noſtra eſt,
At pudor, atque metus, comes alter Amoris, & alter
Maieſtatis onus vetuit. Sed reddere grates
Nititur ille pares, & mille per oſcula laudat,
Oſcula ſed Natæ nimis inuidioſa flagranti:
Hæc tamen occurrit, ſed & occurriſſe decebat,
Quin vocat ipſe Pater, merito ſolamen Amanti.
Inde fores varijs ineunt ſermonibus altas,
Infirmumque Heros inuiſere poſcit Amaldum:
Scoticus obſtupuit, dum vidit adeſſe Gygantum
Victricem dextram, Nec iam mirabimur, inquit,
Nam leuis iſte tibi labor effudiſſe Mymantas.
Tum multùm victore libens exultat Amico,
Confectoq; Edano diſcit ſperare ſalutem.
Inde refert ſtupidis, Natæq; Patriq; ferocis
Virtutem Iuuenis, ſeruataq; gaudia Regno
Vnius bellante manu. Quis mixta renarret
Verba recuſantis laudes, laudeſque iterantum?
Magnificam ſterni fæſtiua per atria cænam
Edicit Genitor, famulis laquearia feruent

Innu-

Innumeris, variumq; venit per munia vulgus:
At non barbarici Phrygijque Europa pudoris
Luxuriem portabat adhuc, tamen Aula ſuperbit,
Exponitque aptum vel noſtra ad ſæcula faſtum.
Atria veſtit ebur Mareotica, poſtibus altis,
Subſidiumque ſuis hebenus laquearibus affert,
Non decus. Hinc teſtudo fores Eoa, & Iaſpis
Luminibus celat. Primæua ab origine Reges
Certatim effulgent. Tum toto ex orbe petitæ
Deliciæ, populata dolis dat munera Tethys,
Munera dant ſyluæ, dat munera iuſſus & aer.
Ars maiora facit. Tibi talia fercula, Cæſar,
Libera ab Auſonijs poſuit Cleopatra catenis.
Diſcumbit ſummis Rex ergo ſedilibus inde
Francum dexter habens Iuuenem, Natamq; ſiniſter,
Vulneribus ſiquidem recubare coactus Amaldus.
Hinc ſolito Proceres, vt quiſque meretur, honore
Iuſſis inſedere thoris. Pro pegmate menſæ
Regis ad Imperium ſtetit vndique plurimus Orpheus
Irritans patulas felicia labra per aures.
Attamen infelix pubes genitalibus orba
Artubus, & ſoli nimium deuota canori
Plurima dulci ſonis miſcebant murmura linguis.
Grandia facta Ducum, fortunatoſque priorum
Melliflua Regum referebant voce lobores.
Nec minus & tragicos ad maxima gaudia caſus
Accumulant, lætoſq; ipſi fecere dolores.
Denique poſt aliquot longè formoſior omni
Incipit Eunuchus, Gallorum maxime Ductor,

Nec

Nec tu carminibus miſerande ſilebere noſtris.
O' felix Virtute tua, ſortiſque ſecundis
Auſpicijs, dum altam regeret Clementia mentem.
Victor ab hoſte redis, hoſtemq; ad vincla iugatum
Childeberte trahis. Sed montibus eruta ſummis,
Rurſus ab edomitis paſſim rapit agmina Terris
Hei mihi! captiui rabies fraterna Tyranni.
Quid facis? ah cui bella paras? Potuere catenis
Vinctæ iram meruiſſe manus? quibus vnica tandem
Cùm vita ſupereſt imbellis copia linguæ?
O' vtinam ſuperis funeſti culpa tumultus
Obijcienda plagis, vtinam tua fata iacerent
Inuidiam paritura Polo. Concurritis ambo,
Peior cauſa tua eſt, feritas facit. Arma furentes
Commiſcent populi, Dominorum turba furori,
Heu ceruice luens delicta aliena, litatur.
Protinus vltrices ſequitur Victoria partes,
Funderis & toto Ductor fortiſſime Campo:
Quin bello captus ſecta ceruice fariſſam,
Truncoque ore premis cunctis ſpectacula Regnis.
Ah miſer! hæc ſaltem defendere cauſa nocentem
Debuit, egregia quod ſtirpem ab origine ducis,
Quod tibi Clodoueus, Clothildaque magna Parentes.
Talia dum modulatur humi placidiſſima Siren,
Principis it Franci ſuper ora decora frequenti,
Lacryma procurſu. Maduere nitentia menſæ
Lintea, & arcanæ patuerunt abditamentis:
Quin etiam Regis (nam brachia forte reduxit
Ad Iuuenis patinas, vt dona recentia ferret)

Quin

Quin Regis manduere manus. Ait ergo, ferocem
Sic animum tangunt alieni funera lethi.
Non aliena tamen credam, quæ lumina tanti
Cogunt flere Ducis. Sed fare, aut ſanguine Francis
Regibus accedis propior, vel ſubditus illis.
Quidquid id eſt, deſiderijs ne longius obſta
Supplicibus, votoque modum permitte meriti.
Nec tu perpetuas inimica ad prælia gentes,
Si tamen hæc cura eſt, ſtudio meditere fideli.
Liber eris. Pacemue mihi, ſeu bella iubebis,
Imperijs accedo tuis. Non ſuſtinet vltra
Verba benigna animo Princeps, at talia reddit.
Occurriſſe tuis per & ipſa pericula iuſſis
Rex mihi grande decus; pudet hactenus æqua negaſſe
Quæſitis reſponſa Pater; nam talis Amores
In miſerum exerces, quamuis inuiſa diei
Infelix dederit mihi lumina Childebertus.
Ecquis Io ſiccum iugulati ad funera Patris,
Barbarus ille licet, lumenq; genaſq; reſeruet?
Obſtupuere Duces, & magni Principis omnis
Attonitos oculos vertit confeſſus ad ora.
Anglicus ipſe toro exiluit Regnator ab alto,
Erubuitq; gemens, quòd non ſatis æqua verendus
Obſequij monumenta ſui tulit hactenus Heros.
Ocyus ingentem latè vulgata per Vrbem
Fama refert tantum geſſiſſe ea prælia Regem,
Virtutiq; adeo Gallos ſocciare Iuuentam.
Rurſus ad excelſos ardent euadere poſtes,
Luſtrataſq; genas iterum luſtrare laborant.

Tu

Tu pariter medijs tua gaudia plauſibus edis;
Hermenegilda, frui iam liberiore moneris
Confuſis ſermone toris, dum quiſque triumphat;
Certatimq; ſtudet peregrinam attingere dextram:
Quin etiam noti vel ab ipſo nomine Regis
Te tibi defenſam fingis, totaque natantes
Lætitia exultant oculi. Conſume ſuprema,
Dum licet, infelix, perituraque gaudia Virgo:
Delicijs breuis hora tuis, redituraque nunquam
Effugit, & longos penſat mora parua dolores.
Tum proprijs ſedere locis, vbi cedere vulgus
Cœpit. At auratum pulſas fidiſſime limen
Aureliane gradu, & circum vaga lumina vertis,
Auditumq; hilari Ductorem indagine quæris.
Nec patitur dubitare diu: ſuper eminet omnes;
Te viſo, magnoque notat clamore ſodalem.
Accurris, ſimiliſque Patri per amantia fundis
Lumina, per rugas & læta fluenta ſeniles.
Aequæuas comitatur amans iam pectore toto
Rex lacrymas, Regiq; ſuo iubet ire propinquum:
Quin ait, Ignotos ne vos reuerentia lædat
Apta minus, patrare iterum neu crimina cogar,
Ede Virum, magnæ Dominator maxime Gentis.
Clodius orſa refert. Nulli ſe Gallia debet
Optime Regnantum, niſi poſt tot munera tanto
Deberi confeſſa ſeni. Dedit iſte ſalutem,
Atque dedit ſceptris varia incrementa Sicambris:
Prætream, patrijs hilaris quod ſemper in armis
Ingentem comitatus Auum, quod nulla remoto

Hoc

Hoc Rectore meis victoria parta maniplis.
At ſuper omne decus magnam quæſiſſe labanti
Clothildam ſolio, & ſæuo extorſiſſe Tyranno.
Hinc iubar æthereum tenebris prius obſita denſis
Gallia mirata eſt, & prona mente recepit.
Tunc ingreſſa, prius ſæuis confinibus exſul,
Alma Fides fauſtos direxit ab æthere currus.
Tum lepor, & Charites, miſeriſq; animantibus aucta
Fertilitas, & pingue ſolum, tum copia cornu
Florifero, & roſeo comitata eſt Gratia vultu,
Et ſemper noſtris Victoria ſubdita ſignis.
Ex quo cæruleos, Cœli argumenta fauentis,
Attonitis fudere ſinus, & lilia Cauris.
Vnde ſalutares ſaliere per aera fontes
Lætiſonum, primoque luem pepulere lauacro,
Quàm priſcæ dederant contagia lurida culpæ:
Fœlix illa dies, & tu cariſſime fœlix;
Quod talem vehis ipſe diem, Regnumq; tueris.
Aeſtuat ad magnos Fidei deuotus honores
Rex pius, atq; ſui miſeratur funera Regni,
Plurima conqueſtus, quod non ſibi ferre liceret
Implacidis bona iura animis, Cœloq; vouere.

CLODIADOS
LIBER SEPTIMVS

ARGVMENTVM.

IVſſu Regis Aurelianus Clodouei geſta recenſet . Auditis Clodij ærumnis Rex aggemit , auxilium exhibet,& ad quietem abeunt . Prima luce, Epiſtola Hermenegildæ conſcripta , ſalutato Rege , iter habet , & iubet Aurelianum quærere per illas regiones Erminium , quem à recepto Pyroo non procul eſſe argumentatur .

POſtquam epulis abſumpta fames,compellat Haraldus
Magnum voce Senem,priſcoſq; reuoluat amores
Hortatur , ſuperum queis Gallia debet honorem :
Inuideo tantis, Francorum Gloria, factis
Aureliane, nitor ſimul, ac decus vtile Regum:
Aſt effare, quibus Patriæ quæſita gementi
Clothilde ſtudijs,Patruoq; erepta ſuperbo.
Iamdudum ſæui crudelia geſta Tyranni
Diſſito in Orbe licet,fama referente, tenemus:
Combaldi rabidas quæuis plaga differit iras.
Quin precor vlterius, primi monumenta referre
Sacra Ducis, totum quamuis memorata per Orbem:
Audijmus præclara quidem, ſed perfida Forti

ſem-

Semper Fama Viro maioribus inuidet actis:
Tuq;tuas exoſus,Aui iam denique laudes
Suſtineas, lubeatq; meis deſcendere votis.
Ardet amor ſummi decora inclyta noſcere Regis,
Heroum auditis accendi ad magna trophæis.
Tum pronus Regum in præconia iuſta ſuorum
Occurrit ſermone ſenex, ac talibus infit:
Longa nimis memorare iubes, potioraque noſtris
Auſibus, ò bone Rex, nec ſi mihi ſydera poſſint
Concentus adhibere ſuos, ſatis æqua ſuperbis
Efferrem titulis, maioraq; viribus auſim.
Sed laudem in magnis ipſum voluiſſe meretur.
Nondum Sequanicis victricia lilia ſignis
Terruerant agitata diem, ſerpente ſubactus
Orbis at horrebat triplici, cum colla teneret
Tartareo deuota iugo, ſtygijſque tenebris
Clodoueus, ſimilique gemens ſub crimine Regnum:
Femina communi tandem permiſſa ſaluti
Dulcibus exuſſit regalia corda fauillis.
Nunquam viſa quidem, ſed quam laudauerat Orbis,
Quis damnare queat? miſeri poſt funera Patris
Seruabat tacitas pulcherrima filia ſedes,
Et Patrui regale ſpecus tremebunda fouebat.
Incertum, Pietaſne animum deſueta nefandum
Impulerit, vires ſexuſue minoris inermes.
Quidquid id eſt, rigido ſuſcepit amore pauentem
Combaldus, Genitore prius ſed perfidus orbam
Libertate iterum ſpoliat, damnatque tenebris.
Talis & à denſis rutilum caput obſitus vmbris

Delitet, & raros Sol fundit ab axe nitores.
Diſijcitur nebuloſa tamen cuſtodia claris
Aeſtibus, atque vagos Tellus reſpirat ad ignes.
Illius immenſum noſtras quoque venit ad oras
Clodoueo mirante iubar, ſed barbara Regis
Mens Patrui ſperare vetat. Spes ipſe fatigat
Sollicitas tamen, ipſe labor, vetitumque laceſſit
Vota magis. Nec more ſuo iam poſcere tentat
Enſe optata, preces forti præmittit Amori.
Burgundas Legatus Ego dimittor ad Vrbes
Clothildæ tentare prius caſtiſſima iuſſus
Pectora, & ætherei teſtari fulgura vultus.
Venit amica dies, cum me dimittere Princeps
Certus, adeſſe iubens mandata nouiſſima pandit.
Durum opus aggrederis, nec ſi tibi Colchidos aurum
Hactutum à patria iubeam regione petendum,
Ambiguum rear eſſe magis, magis eſſe laboris.
Nam quis ad optatos valeat procedere vultus,
Is niſi Paſiphaes Prolem petat ante recentem?
At tua, care fides hinc fit mihi cognita, magnum;
Quam teſtatur opus. Non te violenta Tyranni
Imperia exercent, ſed Amantis vota, preceſque.
I fœlix, lætuſque redi. Satis eſto voluntas
Reginæ facilis, ſponſæque reciprocus ardor.
At noſtrum ſit onus crudelis pectora Regis
Marte, vel arte mea votis accire pudicis.
Sic ait, & ſacra porrexit nobile dextra
Munus, erat digitis nectendum munus eburneis.
Ingredior feſtinus iter, nullique ſecutus

Re-

Regalis leno non diſsimulandus amoris
Commiſſas adeo properatis curſibus Arces.
Tento aditus, tacita ſcitans indagine, ſiquæ
Denique formoſos daret hora potiſsima vultus.
Nulla ſed hora fuit, latebras ita Virgo ſeueras
Seruabat, Patruique libens mandata proterui.
Sedulus inſolitas igitur conuertor ad artes,
Et celeres perquiro dolos. Qua vota Tonanti
Virgo iacit, ſacræ ſedes accomoda fraudi
Viſa mihi, laceris abduco indutibus artus;
Inter & innumeras miſerorum ſponte cateruas
Adnumeror, fœlix contento Rege futurus.
Vix greſſum è dijs retulit penetralibus, altas
Oppleri querulo portas examine cernit.
Tum niueæ quoſcumque manus non paupere ditat
Munere, cumque mihi propius tulit ardua paſſus,
Sortis non meritos ludibria perfida vultus
Commiſerans, dextram numeroſo deprimit auro.
Obſtupui, donumque manu titubante recepi,
Et labra lacteolam permiſi attingere dextram.
Erubuit Virgo, ſed diſſimulare coegit
Caſtam animam, laterique tamen iubet ire propinquam
Matronam ſtupefacta, nouoque exterrita caſu.
Tum petit, audacis num geſta notarit Egeni?
Nec labor, illa refert, nimis ora nitentia teſtis
Confeſtim pudor inuaſit, ſparſitque rubore.
Sicque Viri facies, ſi non me forma fefellit,
Ille quidem Regina tuis, non attamen iſtis
Indiget auxilijs: Quod ſi regalibus illum

Se-

Sedibus inferri, & cautè tibi regia ſiſti
Virgo iubes (conabor enim) ad tua limina ſurget;
Annuit. Hinc celeres reuocauit fæmina greſſus,
Et redijt latura mihi, quæ murmure certo
Clothildæ nuper pauidæ commiſerat auri.
Aſt Ego membrorum monitus vel motibus, ipſos
Præcurro nutus, Veniamq; ad regia, dixi,
Mœnia. At interea valuis euaſerat aureis
Virgo, ſequi Dominam ſtudio hæc properabat anili.
Tempus erat, medio cum Sol libratus ab axe
Corripit exiguas rectis mortalibus vmbras:
Tum mihi ſublimes quam primum euadere ad arces
Cura fuit, Regiſq; pias exponere flammas.
Nec mora deluſit votum, penetralibus imis
Virgo me adeſſe iubet quaſi opem exhibitura petenti;
Vix greſſu propiore fores, internaque lentus
Limina contigeram, cum talibus aſpera dictis
Increpat attonitum, Quæ te dementia, Pauper
Improbe, regales labro violare lacertos
Impulit? audaci quæ fœda ſuperbia menti?
Tunc Ego, Parce, precor, retuli, ſi nomina Culpæ
Promeruere meis mores regionibus apti,
Regia Progenies. Immò labra iungere labris
Sequanidum ſueuere plagæ, ſed vilis ad imum
Lege truci ſortis preſſo trans oſcula dextræ
Proceſſiſſe nefas. Licuit quoque paupere cultu
Templorum foribus famulam componere frontem?
Riſit ad hæc Virgo, mentitaq; ſenſit amictum
Membra humilem, hinc miſeræ cauſam petit anxia vitæ.

Tum,

Tùm, Quoniam Regina iubes, abſcondita pandam
Pectoris, ex templo ſubij, non vilibus olim
Me ductum laribus Galla de Gente fatebor.
Vnica Virgo meis ſudoribus, vnica finis.
Huius amore vagor, quam nec mihi iungere tentem,
Nec merui, thalamis ſed enim regalibus opto.
Nullus ità æthereas Diademate ſurgit ad auras,
Vt non belligerum nutanti vertice Regem
Suſpiciat. Trepidant, illo pugnante, remotæ,
Finitimæq; plagæ, tantoque à Principe amari
Sola ſalus. Stupet illa Ducis præconia tanti,
Atque iterum proferre rogat, ſponſamque, Virumq;
Arripio pronum magna ad molimina tempus,
Et refero, non ſponſa procul, tuq; optima Virgo,
En ades, errorum pulcherrima cauſa meorum.
Reſtitit, immiſſoq; genis, frontiq; cruore
Purpureas dedit ire notas, certiſſima moti
Argumenta animi. Tùm proſequor, Vnde timores
Magnanimos tetigere ſinus? An non procul omnis
Teſtis? habent noſtras tantùm pia Numina voces.
Iamque ſcias me Clodouei, cui plurima Terræ
Pars deuota iacet, rapit in diſcrimina nutus.
Virtutis cui Fama tuæ, formæq; venuſtas
Vel geminis delata Polis incendia mouit:
Excelſam indocilis precibus componere mentem
Supplex ille toros, inuerſo more, precatur.
Haud equidem hic præfert ſub tanta negotia miſſum
Legatum indutus, decuit ſed vincere vel ſic
Difficiles animos Patrui, ſponſæque voluntas

Per-

Pertentanda prius talem latitare coegit:
Denique iam melior regalem Teſtis amorem
Aureus impoſita tibi gemma ſanciat orbis.
Plura redordirer, niſi dicta ex ore loquentis
Talibus eriperet, quid inani tempora perdis
Hortatu Iuuenis? Satis hæc reſponſa petenti
Crediderim. Nunquam fragilem tam ſydera mentem
Summa dedere mihi, diuinam vt perfida tentem
Imperio mutare Fidem, non ſi ille ſubactæ
Telluris ſceptrum, rerumq; pararet habenas.
Abſit vt infido componere pectora Regi,
Aeterniq; velim cultum violare Tonantis.
Sic ait, oblatumque manu generoſa repellit
Munus; At ipſe itero, nec iam Rex Gallicus auſit
Ire per illicitum, potiuſq; in veſtra coibit
Iura libens, quàm iura noui tibi ſcribere cultus.
Hæc ſi cura mouet, cauſas modo nectis inanes.
Principijs gauiſa pijs me blandior ore
Reſpicit, atque ſuis diuina negotia rebus
Præmittit. Mox, Vnde animum tentabis acerbum
Interea Patrui, qui connubialia noſtri
Fæſta tori, cunctis certus negat vſque maritis?
Tunc Ego, dum facilem precibus des optima mintem,
Quænam Sequanicis te dextra negauerit armis?
Ocyus exclamat, Superi diuertite crimen,
Conſilium turbate ferox, laudabitur vnquam
Haud mihi triſte nefas; dumque hæc in verba laborat,
Virgineæ riguere comæ, rapuitque ruborem
Cor niueis ſublime genis. Scelus ergo putabis,

Su-

Sulcipio, Tigridum e ſpecubus, latebriſq; luporum
Innocuum ſeruaſſe caput, Regiſq; precantis
In ſacras veniſſe manus ? laudaſne Parentum
Immemor infandas ò regia filia clades ?
Reſtitit, ac pulchras ad nomina cara Parentum
Contribuit lacrymas, gremiumq; niuale rigauit.
Tunc inquit, Proprijs, & viribus vtere Regis,
Per me cuncta licent, Iuuenis fortiſſime (laſſo
Nondum etenim flauens canebat barba palato)
Regis dicar Ego, cum Numinis ille ſupremi,
Nec iuga Galla prius, quam ſubdita colla Tonanti
Ipſe det, excipiam, tum cordis habebit amantis
Argumenta . Quod & Patrui ſi ſumma voluntas
Me tanto det habere Duci, tum pectore iungar ,
Aeternumq; animi firmabunt pectora nodum.
Hæ præeant leges tanti ſublimia Regis ,
Quæ iam demùm hilari complector munera dextrā.
Sic ait, & paruum digitis excepit eburnis
Pondus abire rogans, nam limina tangere ſenſit
Combaldum gradibus . Relego Veſtigia cautus,
Et compos voti male tutas defero ſedes .
Nec mora præcipiti ſuper extera iugera curſu
Tranſuehor, & noſtris mox inferor ocyus oris.
Viſa Duci refero, pariterq; audita, modeſtæ
Virginis, ora, oculos, formam cœleſtibus æquam,
Et cano dulciſonæ mandata nouiſſima linguæ .
Non tulit hæc patiens, dulceſq; exarſit in æſtus
Clodoueus, iamiamq; animo feralia forti
Exhibet arma furor, quem fræna ſubire negantem
Compoſitum Ratione tenet . Iubet illico totas

Nobile, ſi quid habet, Regnum profundere pompas.
Meq; Oratorem, Procerum comitante Corona,
Burgundo perferre ſimul ſua dicta Tyranno:
Miſſus eo, iuſſaſque preces ex ordine fundo,
Irrita ſed Zephyro ſenſi dare verba volanti.
Horruit, vt iuſti compendia pectore voti
Concepit, viſæque faces, thalamique iugales
Nempe parentales ipſi componere tædas.
Sic animis, ſic fronte riget: Tamen impia mentis
Prælia diſſimulat, tum ſic reſponſa remittit.
Immortale, Viri, noſtræ decus emicat Vrbi,
Tantùm auſæ proferre Caput, cui Gallicus Heros
Iungere Regales, immenſa Potentia, faſces
Malit, & imperijs Comitem fælicibus optet.
Sed durum procurrit iter, nulliq; terendum,
Namque decus tantùm, Gentique, Soloque, mihique
Plurima cauſa negat. Nec enim mea dona fauentis
Fortunæ meruiſſe Domus tàm vaſta fatetur.
Præterea diuerſa fides, Cultuſq; Tonantis
Ignotus vobis tædis nos grandibus orbat.
Vnde vel hoſtis Ego, vel proditor ipſe meorum,
Numine mutato ferrer. Niſi maior origo,
Tum Subeo, immeritæ dat nomina iuſta repulſæ,
Hæc quoque inanis erit. Sed enim nihil ipſe recuſat
Rex dare diuinis obnoxia colla fluentis:
Sudor in attonitos decurrere protinus artus
Principis eſt viſus, non hæc reſponſa volentis.
Non tamen aufugium ſupremæ deſijt Arcis
Arcano ſperare ſinu, Regniq; Dynaſtis
Non ſine conſultis ad tanta negotia Regi

De-

Deũeniſſe licet. Dixit, vultuque coacto,
Vnde nimis, diræque minæ, furiæque redibant,
Dimittit. Ratus iſta ſatis molimina Franco
Oppoſuiſſe Duci, ſaltemq; ità ferre per amplas
Vota moras, vt victa ipſo vel tempore cedant.
At mihi præcipuos tum cura ſuprema mouere
Primates, populumq; meis accerſere votis,
Conſulitur, longoque Viros ſermone laborat
Aduerſis implere animis, ſed deniq; cunctos
Vnica mens tenuit, Gallum, frendente Tyranno,
Decerni Sponſum. Requiem inde, & gaudia Regni,
Hinc totum pendere decus. Fauſtiſſima iungi
Fœdera coniugijs, ſtultoſq; precantibus armis
Dona negare, quibus legem facit vna voluntas.
Iam nihil è toto fieri crudelius Orbe
In furias quàm verſus Amor. Quæ Gloria maior
Burgundis populis, quàm per connubia diam
Franco inferre fidem, Cœliq; augere Senatum?
Addite quod iuſto ſi corripit arma furore
Probrum vlturus Amans, bellis exhauſta peractis,
Quidni Terra iugo victricia lilia adoret?
Hæc, & plura graues pepulerunt deniq; mentes:
At miſer, & cunctis deluſus ab artibus, vnam,
Quæ ſibi reſtat adhuc, mendicat ſedulus artem:
Abſint ergo moræ votis regalibus, inquit,
Nec decet vlterius: niſi ſe Clothilda Tonanti
Vouerit, & diuo ſacrarit corda marito,
Iam Regnatori diſcedat ſponſa Sicambro.
Magna mihi riſus dedit argumenta ſupremum,

Quod petit, auxilium, ſed adhuc mens fingere certa eſt,
Donec ad optatum veniat ratis hoſpita portum.
Illa rogata refert, ſe Virginitatis Olympo
Haud vnquam feciſſe ream, quamuiſque receſſus,
Queis modo perfruitur, laudet, non inde paternis
Obſtare imperijs, quin ad connubia Franci
Ire neget Regis, ſacris dum colla fluentis
Proluat ille libens, Numemque piantus adoret.
Audijt,& læto Conſeſſus dicta ſuſurro
Clothildæ excepit, promptamque coercuit iram
Combaldus, nam vana ſubit. Mentitur acerbum
Ore truci riſum, & cordi frons ipſa rebellat.
Iamque propinquabat Tempus, quo cernere Virgo
Libertate diem poſt tædia longa ſerenum
Debuit, ingentique Comes ſuccedere ſceptro.
Tùm demùm ſeruanda mihi committitur Vxor
Clodouei, Ciues lacrymis comitantur euntem;
Communique ſonant vlulata cacumina planctu.
Rex etiam inſolitus, monſtroquè ſimillimus edit
Informes gemitus, & mollia dicta refundit.
Lœta fugit natale ſolum, proprioque rubentes
Sanguine crudeles Terras, tandemque beatas
Regnatura ſubit, quas dudum Regius Arces
Seruat Amans, Phæboq; pigras ſæpe improbrat horas.
Nunquam adeo grato ſonuere excuſſa tumultu
Mænia Sueſſioni, nullumque dolore vacantem
Poſt illum videre diem, nam maximà Reges
Imperio reduces extemplo Lutetia cæpit:
Semideum exultat grandis domus, æmula Cœli,

Rè-

Regnorumq; capax, Martemq; imitantia verum
Prælia lætantem confundunt plauſibus Vrbem.
At nequit in medijs penitus gaudere triumphis
Clothilde, primiq; diù cunctatur anhelans
Promiſſi reſponſa memor. Licet ergo modeſta
Conetur quandoq; Virum ſtimulare querela,
Iam nihil inueniunt (præter ſolatia amoris)
Quàm bona verba preces; ſacris tamen ille Miniſtris
Arridere magis, delubraque ſumma tueri.
Interea extremos duxit Lucina labores,
Regalemq; vterum reſerauit ſedula partu.
Ocyus æthereis proles generoſa lauacris
Tingitur, & patrias deponit flumine culpas.
Mox tamen expulſa eſt vitalibus exul ab auris.
Obriguit Bellatori ſub pectore primus
Relligionis Amor, thalami obiurgata ſodalis
Ipſa gemit, quod præcipiti nimis anxia curſu
Tentet ferre Fidem populis. Aſt illa reponit;
Et vitæ, mortiſque vices ſub Numinis eſſe
Auſpicijs, illoque regi mortalia nutu.
Nec cenſendum adeo lacrymabile funus, Olympi
Commutans Tellure plagas, ſat poſſe caducis
Fertilitate toris, ſolioque fauere Tonantem.
Quod ſi ſe ſterilem prefixerit ille, ſupremæ
Non inuitam ideo dare debita baſia virgæ.
His lacrymis dolor ille animi requieuit acerbus,
Edidicitq; iterum Regni ſperare ſalutem.
Hæc inter molles (qui mos mortalibus) inſtat
Mars thalami turbare faces, totoq; mouere

Dite luem, excitis concurrunt vndiq; turmis
Tranſrhenana truces depoſcere prælia Gentes,
Atque hoſtes cunctis fluuius vehit vndiq; ripis.
Nec tantum indomitos canit arma agitare Sueuos
Fama, ſed vnitos procedere in agmina Reges.
Quin excuſſa ſuis Germania ſedibus, infert
Mœnibus extremas, populiſq; inimica ruinas.
Præterea vt vaſtas cumulet præſentia vires,
Ductor ab Arcturo, ſeptemque Trione furores
Ducit quiſque ſuos, atq; vnica caſtra receptant
Plurima Regna. Graui ſic garrula Virgo ſuſurro
Exagitat, varijſq; quatit terroribus Vrbes.
Infremuit, fortes vbi nuncius attigit aures
Clodoueus, primaſq; animi ſurrexit in iras;
Sic Lycomedæa dum luxuriatur in Aula
Dardanijs nimium muris retegendus Achilles;
Exuuiaſq; humiles, Genitrice iubente, decorat;
(Nec regit imperio iam Deidamia minori)
Vt primum fremuere tubæ, raucoſq; dedere
Mugitus, clypeique acies nitor impulit aurei;
Tunc exul dudum reuocari in viſcera rurſus
Peleus, & toto diſpelli è pectore Mater.
Tum viſi creuiſſe humeri, frontiſq; verendum
Robur, & ingenti conſumi ſpicula dextrà.
Talis in arma redit, tota regione coactas
Imperat ire manus, fineſque ex hoſte tueri;
Aſt impune tamen ferroq; igniq; ruuntur
Heu male finitimo vicina noualia bello.
Aeſtuat, & celeri feſtinans aggere tentat

Flu-

Fluminis armati furias cohibere feroces.
Non procul à Rheni diſcedit littore campus,
Planities quem vaſta tenet, noſtriſq; paratum
Monſtrat iter Regnis. Hunc ergo hoſtilia tandem
Tela grauant, prohibentq; diu vexilla, viriq;
Intuitum ſperare Poli; Contraria læuis
Regibus arma Pater, numero licèt impare, ſiſtit.
Attamen vſq; nouos certus properare maniplos,
Non niſi ab hoſte, manum ſtatuit ſeruiſſe, coactus:
Perſentit iuſtos Guſtauus fortè timores,
Nec violare ſuis accomoda tempora fatis
Fas ducit, Campoq; iubet decurrere aperto,
Et leuiora graui præmittere prælia pugnæ
Inde cataphroctos Equites, Peditem inde fariſſis
Confiſum. Paribus decernit Gallicus armis,
Et numerum penſat Virtus: Demùm impetus omnis
(Rem gerit enſis enim) ſumma in certamina vires
Expedit, & tanti diſpendia ſæua furoris
In Dominatoris conſpirant ſceptra Sicambri:
Vſque adeo Superis extremo noſtra periclo
Concutere, & rabidis placuit fauiſſe Tyrannis.
Sed bene, ſi tantæ ſternebant talia clades
Gaudia. In infirmum ſic prouida dextera corpus
Intulit optatam flammis, ferroque ſalutem.
Iamque ſuas reparare nouis Alemania ſtrages
Incipit auxilijs, pugnamque nouare priorem;
Tum numero cedit Virtus depreſſa recenti.
At ſummus Francis canit vltima funera ſudor:
Nec mortale licèt tranſcendere robur, anhelo

Pe-

Pectora hebent gemitu, nec ſpes niſi mortis habetur:
Mors placet ipſa prius quàm mille petita triumphis
Gloria Victori in tenues euaneat auras.
Non ſecus Hircano maculoſa vbi prælia Tigres
Intulerint nemori, Regnatoremque Leonem
Per coniuratos certent profligere rictus.
Impar pugna quidem, ſed non tamen eſſe fatetur:
Magnanimo Rector fremitu, nunc præterit illam
Morſibus, infixo nunc illam euiſcerat vngue,
Et licet oppreſſus multiplici ab agmine, nondum
Signa cadentis habet. Sic ſanguinis obrutus imbre
It Childericides, & cuncta pererrat acerbum
Arua fremens, ceſis incumbere certus aceruis,
Ni voluat Fortuna vices. Sed denique pugnæ
Nulla ſuper facies, ceruicibus inde caducis,
Inde peregrinis bellum committitur armis.
Guſtauum Campo circumſpicit anxius omni,
Quò liceat dignum ſaltem diſcurrere in hoſtem;
Et nece regali morituræ plaudere dextræ.
Iamque illum è celſo fundentem funera curru
Spectat, & in tuta laudem quaſi ſede locarit.
Gaudet honorati viſo ceu pignore lethi:
Tunc Ego (namque latus nunquam me fugit amatum)
Coniugis æternum, Rex magne, fatere Tonantem,
Et fortaſſe tuis aderit Victoria ſignis.
Non opus hic verbis, Alto clamore Tonantem
Clothildæ, & verum vocat in certamina Numen.
Si mihi iam amiſſum Regum Rex maxime Regnum
Reſtituis, deuota tibi quoque pectora reddam,

Pro-

Proſtrataſq; comas diuina fluenta rigabunt.
Audijt, & læto monuit ſe audiſſe ſereno
Cum tonitru ſine nube Polus, tum raptus ab ipſis
Sudor Equis, fractæ rediere in priſtina vires.
Quin etiam regale caput iubar obſidet ingens,
Et redimit conſtans obtento lumine fulgur.
Non expectato ſupra mortalia vultu
Guſtauo improuiſus adeſt, haſtaq; trabali,
Quam mihi diripuit, turbatum ex axe refudit.
Viderat ille quidem, ſed fulgure procurrenti
Territus vmbonem tulit importunus ad ictum.
Nec mora, Rex ſuper it, vitamq; è gutture poſcit.
Extemplo conuerſæ acies, quaſi prælia iam tum
Incipiant, primuſq; fluat per vulnera ſanguis.
Erepto Ductore palam cœpere cohortes
Indecorem ſine lege fugam, prohibetur ituro
Semita victori, fuſo ſuper arua cruore,
Iugeraque innumero cooperta cadauere ſquallent.
Vincimus. Hoſtiles victricibus obuia turmis
Dona ferunt Gentes. Multa venere reuincti
Pallade Legati, pacem petiere gementi
Indutu, exhibitoque iugum ſumpſere tributo.
Nullus in Auſonias ſpolijs tam grandibus Arces
Candentes immiſit Equos, ſummoque trophæa
Duxit opima Ioui, qui tot domitricibus armis
Impulerit fuſos vno certamine Reges.
Tum reduci, & Patriæ gaudentia ſigna ferenti
Denique felicem profert Campania Sponſam.
Illam Remigius, totaque à Gente Iuuentus

Vtraq; lætanti circum obſedere corona.
Quam ſimul ac longo proſpexit ab æquore blandus
Occurrentem hilari per talia ſuſcipit ore.
Vincis apud Superos iuſtis, pulcherrima, votis,
Victorem vincis ; Potior tibi Gloria reſtat,
Namq; triumphati quaſi opima trophæa Sueui
Munus habes, pariterq; Ducem, pariterq; triumphum.
Nec mora noſtra iuuat cum crimine pellere Patrum
Fluctibus, adſcribiq; pio tot gaudia Cœlo.
Lætitiæ vix illa capax per blanda nitentes
Ora hilaris lacrymas, pariterq; hæc verba profudit.
Nullam Ego promerui longe fortiſſime Regum
Laudem de domitis, pugnante, Trionibus, Axe.
Illam Numen habet, tibi quod dedit. Excipe tandem,
Remigiumq; manu, fæſtiuo, & lumine ſignat)
Si lubet, æternæ bene conſcia pectora mentis,
Amplexu dignata Dei, Superumq; Miniſtrum.
Hic tibi perpetuæ Cœleſtia dogmata vitæ,
Hic tibi ſupremum potis eſt monſtrare Tonantem:
Adſtitit Antiſtes, lætis quem condidit vlnis
Rex pius, & retulit ſic pignora prima ſalutis.
Durocortorum redeuntem mœnia pompam
Suſcipiunt, operis fælicia mænia tanti.
Iamq; dies aderat, qua Numinis vnica Proles
De Phlegetontæis rediuiua educitur vmbris:
Ditibus inſtruitur ſpolijs, auroq; grauatur
Templum ingens ; Cœlo delapſi operantur Ephæbi
Seruitijs, ſuperiſq; parem dant balſama odorem.
Quin etiam ſummis miſſo modulamine ab Aſtris

Ae-

Aethereas populi prægustauere Choreas.
Ante opus egregium, reticente canore, serenum
Illuxit fulgur, delubraq; vasta repleuit.
Tum iubare e medio vox absilit alma, beatque
Adstantes, Pacem tibi Regia Copia, Pacem.
Ne timeas conceptum olim magis affere fædus.
At supra mortale decus, magnumq; renidens
Accessit dijs Rex inuictissimus vndis:
Tunc ità Remigius, Pone ardua colla Sicamber,
Et summum reuerere Deum, facilisque perure
Nuper adoratum, atq; vstum deuotus adora:
Hinc duodena canit Fidei compendia, Trino
Nominibus propiora Deo, quem denique claro
Concipit ore Pater, flumenq; è vertice fundit.
Fortunata dies, quæ Cœlo vndante dedisti
Santonici exultantis aquas Iordane beari.
Confestim Aligeri manifesta in luce volantes
Vitrea vasa ferunt, tantisq; ea dona lacertis
Debentur. Diuina cadens Opobalsama Præsul
Suscepit, sacrumq; caput, cubitosq; manusq;
Vnxit ouans. Auxere suos Cœlestia cantus
Agmina. Vexillis, quæ pridem ingentia Fani
Limina seruabant, magni custodia Regis,
Extemplo mutatus apex, parilique viresçens
Germine virga nitet, quam lilia plura decorant.
Tum Dominum comitata suum, semperq; fidelis
Nobilitas sacris caput exposuere lauacris.
Sic lacrymanda diù tandem sibi reddita, & Axi,
Post tenebras diuam suscepit Gallia lucem.

Plura canenda forent, tanto de Rege, ſed vmbræ,
Prouectuſq; nimis plauſtro tardante Bootes
Proceſſiſſe vetant, & enim ſat iuſſa peregi.
Quin tibi prolixis forſan faſtidia dictis
Optime Rex peperi. Sic fatus, & ore quieuit:
Aſt Anglæ Senior ſic reddidit Arbiter oræ.
Felix Rege quidem, ſed te felicius vſque,
Cuius opi tantum debet ſua gaudia Regnum!
Ecquis ad auditos faſtidia nouerit actus?
Quod niſi vos dudum requies, atq; hora vocaret
Debita, continuam luci componere noctem
Dulce foret. Tum furtim oculis permutat amatis
Hermenegilda vale, diſceſſu pallida iuſſo.
At non his tantùm turbatur pectora curis
Clodius, innocuos ſeruant præcordia Fratres,
Atq; Auiam, puppimq; maris per iniqua vagantem
Aequora, & Erminium, motiq; pericula belli.
Craſtina cum primum radios diffuderit Eos
Aureliane, inquit, vicinos quærere portus
Te iubeo, & miſero Numitorem reddere Regno:
Ipſe meo tantùm comitatus ab Vrbe Pyroo
Excedam, fugiamq; meas, mea gaudia, flammas;
Sic miſerum Fortuna quatis? ſatiare ruinis
Dura meis, Regni pulſo è ditione Paterni
Iam nihil, exilium præter, mihi deniq; linquis.
Proxima naufragio luſtra tu littora, quodſi
Has etiam pœnas noſtris erratibus æther
Deſtinat, & capitis iacturam aduerſa fidelis
Fata iubent, facili accipio ceruice, proboq;

In-

Inde Pariſiacam concede citatus in Vrbem.
Audijt, & iuſſis correptus colla ſopore
Annuit, ac toti permiſit lumina Morpheo,
Qui luuenem acclinem Lethes mox rore ſubegit.
Iamque relinquebat fuſis Aurora capillis
Migdonij penetrale Senis, cum Lucifer ortus
Mulcet anhelantes redeunti luce nouales:
Tu quoq; diſceſſus ſummas lacrymabilis horas
Sentis, & exilium dilecta ex Vrbe propinquum
Clodi abiture gemis. Stratis tum mæſtus ab aureis
Lactea memora leuas, armiſq; recentibus abdis.
At modicæ libuit mandare nouiſſima cartæ
Verba prius, thalamo quàm diceſſurus abiret,
Reginæ arcani teſtem miſſurus Amoris.
Sic igitur celeri breue carmen pollice fudit.
Quæ legis, hac ipſa, qua de confinibus hora
Cædo tuis, perarata legis. Miraberis ignes
Haudquaquam potuiſſe meos, me Iudice, ſolum
Exorare diem. Sed ſi iuſtiſſima noſtræ
Non eſt cauſa fugæ (fuga ſi tamen iſta vocanda eſt)
Pœnas poſco libens ſceleri. Me preſſa Tyrannis
Patria Regna vocant, mecumq; agitata periclis.
Nam quid te deſertus inops, de littore longe
Santonico profugus, quin immo precarius auſim
Rex thalamos ſperare tuos? me ſæua repellit
Sors, non fracta fides, quam donec ſpiritus artus
Hos reget, æternam dixi. Poſt mille labores
Dignior huc adero, ſeruataq; ſceptra maritus.
At precor hoc, noſtri per iura ſacerrima Amoris

Com-

Contempſiſſe tui ne dulcia fœdera lecti
Credar, ab ingrati me crimine prona tuere:
Interea verum, quod condidit omnia, Numen
(Hæc ſiquidem tædis lex prima iugalibus eſto,
Spes hæc prima mihi) iam nunc ediſce fateri.
Hactutum inſtructis redeuntem e culmine cernes
Claſſibus, atque fidem laudabis cara perennem.
Iamque meæ valeas ò maxima portio vitæ.
Subſcripſit, parua preſſitq; plicabile gemma,
Commiſitq; Seni folium. Fidiſſimus ille
Nutibus obſequitur Dominis. Conſurgit Haraldus
Anxius, & dictis incuſat triſtis ituros.
Sed tamen incaſſum, nam gemmea fræna Pyrous
Conſumit, Dominiq; moras obiurgat amicas.
Hic autem Francus blandiſſima concipit Heros
Verba, quibus grates agat abſceſſurus Haraldo.
Ille nequit lacrymis reſponſa remittere obortis,
Aſt interruptis, vbi vox ſingultibus exit,
Tum Regni cunctas offert in munera vires.
Innuptæ, triſteſq; nurus, puerique, ſeneſque,
Ductores, Procereſq; ſimul gemuere relicti.
Talis & ante graues Princeps pulcherrime vultus
Seruabas, taleſq; dedit tibi Patria fletus,
Mænibus e Patrijs ſub acerba pericula miſſo.
Ergo iter incomitatus habes, tamen vndiq; cingit
Mæror, Amorq; latus, nec te mandare quieti
Membra prius ſonipes, ſomnoq; leuare laborem
Hortatur ceſſante gradu, quàm nocte ſequenti
Præcipites rubicunda rotas in cærula Phæbus

Mer-

Mergat, ſyderibuſq; ſuas det habere ſauillas.
Ex in fortuitum tandem ſubit anxius antrum,
Circumfuſa etenim Caſtella negauerat error,
Multipliciſq; viæ, mentiſq; horrenda monentis.
Stramineo tum colla toro defeſſa reponit,
Quem peregrina manus non hoſce pararat in vſus:
Stat ſpecus ingenti ductum ſuper æthera mole,
Immenſumq; facit Natura ſuperba foramen,
Vnde Artis niſus eludere viſa caducos.
Nam quacumq; ſuis immobile baſibus hæret
Saxum, & multiplici facit hoſpita mœnia turbæ.
Nulli aditus (ſi certa fides ſpectantibus vltra)
Interiora petunt, ſed ſi te cauta voluptas
Impellat penetrare ſinus, facilemq; per imos
Ingreſſus tentare Stygem, anguſtiſſima cernes
Carceris orà caui, atq; voraginis ora recentis.
Hæc it in immenſum, ſoliq; terenda micantis
Subſidio iacet alta facis, longoq; tenebras
Complectens gremio, ſubter labentibus vmbris
Præterit impoſitos populis incognita Campos.
Tandem tramitibus laſſata nigrantibus ingens
Ad Superos ſibi pandit iter, ſeroq; rebellis
Regnantem expellit patulo de limine Noctem.

CLO-

CLODIADOS
LIBER OCTAVVS

ARGVMENTVM.

Amore impatiens Hermenegilda Clodium abeuntem fuga ſubſequitur, & in antrum peruenit, quod per longiſſimum Terræ meatum ad illud, quo Clodius quieuerat, referebatur. Hic eius audit querelas Princeps, non tamen tenuiſſimum ſubterraneum tramitem obſeruans. Ideo laruas putat, & attonitus, poſtquam reſpondit Virgini, quæ & ipſa laruam credidit reſpondentem; iter proſequitur. Occurrit armato Equiti Clodius, quem eſſe Statildam Clodomiri Filiam certior fit. Iter ſimul ineunt, & ſudore victi ſub arboris vmbra quieſcunt. Hàc tranſiens Hermenegilda à Virginis pectore armis exuto ſexum agnoſcit. Equo cadit, & Principes excitat. Sed illicò ſurgit, & Equo per campos volat. Paucis digreſſa milliarijs ſcribit Epiſtolam, qua Clodio obijcit læſam fidem per Seniorem Comitem, quo dimiſſo, ſola ſtatim fugit moritura. Hanc aſſequi, ſed incaſſum Clodius nititur. Ergo ad Tameſim peruenit, vbi tranſeuntem Carinam ſe Galliæ reddere precatur, ab inſidiantibus Patruis mortem ſperans. Puppis erat ſcilicet, qua primum è patrio Regno greſſum extulerat. Ignoſcit incautæ fugæ, & vincula ſolui iubet. Perluſtrant ſuas acies Clodomirus, & Clotharius. Anceps de Clodij vita Clothilda arma in Natos capere abnuit, ſed à ſuperueniente Hermenegilda Clodio ſimillima, patitur exercitus Imperatorem legi Dagobertum, qui ſuas legiones enumerat, & illa diſcedit.

IAmdudum ſtratis excita tepentibus Angli
Gnata Ducis, magni quam littera nuntia damni
Ocyus admonuit, funeſtum pectore voluit
Conſilium, ſexumq; animis furibunda relinquit.
Aeſtuat infelix, agiturq; dolore, nec in ſe
Se reperit, cordiſq; memor veſtigia primi
Scrutatur, vel prima memor veſtigia cordis.

Quid

Quid facis ah (rupto tandem labra pulchra ſuſurro
Mæſtiloquos fudere ſonos quid Principe rapto
Virgo relicta facis? Talin ſeruata rependis
Officio vitam toties, totieſq; pudorem?
At lenire ratus cur das fomenta dolori,
Quidue pijs Clodi torques me dure tabellis.
Tu profugus, deſertus, inops? Crudelis in ipſa
Virtute aut ludis miſeram, nam nouimus olim
Gallica Regna Anglo potiora, aut parua modeſtus
De te ſentis Amans. Quod ſi tibi crederis exul,
Num te deſtituet, fortiſſime, cognita Virtus,
Qua tibi Regna pares? nec tàm mihi vile dederunt
Aſtra cor, vt fido præponam Regna marito.
Te ſequar in medijs ſyluarum anfractibus audax,
Fluminis oppoſito frangam tibi pectore curſus.
Si comitem accipies, abruptaq; ſemita votis
Stabit amica tuis, geminis abrupta placebit.
Nulla meam caro dextram de corpore ſoluet,
Nemo mihi ſocium rapiet. Sibi Regna Nepotes
Immanes opulenta petant, & cuſpide pugnent
Sacrilega Patrui, dùm te mihi deniq; relinquant,
Sique cadis, tecum ipſa cadam. Sine Coniuge non eſt
Iuris obire tui. Moreris? præcurrere lætum eſt,
Viuis? læta ſequor. Nil eſt mihi flebile, nil, quod
Te voluiſſe ſciam. Fidei modo pignora reddam.
Ah miſera, vnde Patrem, Fratremq; oblita? feroces
Hei mihi frange animos, mentemq; animoſa virilem.
Quos fugis, aut quem ſubſequeris? Fortaſſe Pudoris
Heu nimis immemorem demùm auerſabitur Heros.

Sed patere Aſtrorum, Genitor dulciſſime, virès,
Et coniuratas in Natæ funera Parcas.
Et patere, ò mihi præ cunctis (Caput excipe Francum)
Frater amate meis. Age Virgo infauſta, Parente,
Fratreq; dimiſſo, ſexum dimitte minorem:
Quin vanos dimitte metus. Nonne æqua ſubactis.
Hactenus is fidei dedit argumenta periclis?
Nec fuga difficilis, nec mi variabilis error
Præfixum diuertet iter. Magnetica ferrum
Saxa inquirit amans, & Apollinis ora fugacis
Spectat ab immerito Clytie tumulata ſepulchro:
Sic ait, & fidum penetralibus illicò fuluis
Lumina componens, Ligerum iubet ire vocatum.
Virginis ille Comes regales fingere mores
Iuſſus erat Senior, lateriq; hærere pudico,
Ex quo maternis amplexibus intempeſtos
Vix gemino propior luſtro tulit orba dolores.
Ergo ità non ſolito turbatum tempore Alumnum
Compellat gemitu, ſeu tu fugitiua ſequeris,
Fide Liger, miſeræ veſtigia, ſiue ſupremo
(Nec datur hic medium) iugulatam funere cernes.
Ergo fugam, certumue mihi pius elige lethum.
Non tulit vlterius, peret ora ſenilia fontes
Profudit duplices, canoſq; furente verendos
Vngue laceſſiuit, genibuſq; per alta volutis
Strata ſenex gemuit, Quæ ſpes modo barbara mentem
Abſtrahit, & Mundi confundit perfida leges?
Sic exorſus erat, gemino cum Virgo lacerto
Mucroni latus oppoſitum moritura parabat.

Tum

Tum Senior toto in præceps ſe corpore fundit,
Diſturbatq; manu facinus trepidante propinquum.
At quia conſilijs præcluſa eſt ſemita iuſtis,
Apparat ire Comes, quis enim muliebria vertat
Corda, vbi in excidium certo pede deuia tendunt?
Hei mihi, crudelis fugitiuos ſubſequar, inquit
Ille, gradus, dirum ſed proijce mortis amorem.
His dictis gauiſa ruit, placidoq; receptat
Tempora cana ſinu. Armorum dein molibus artus
Induit, & teneri crudeſcunt caſſide vultus.
Tempus erat, niueis quo Cinthia blanda quadrigis
Deſilit è medij iam reflua tractibus Orbis.
Deniq; cepta fuga eſt, perfuſaq; triſtibus vmbris
Noctis imago grauis, pallent ſtupefacta, madentq;
Sydera, ab æthereis compar Ariadna feneſtris
Mœſta caput promit, queriturq; exempla dediſſe.
Exit ab incautis, ſeniore ſequente, Virago,
Extremumq; vale dat, ſummaq; baſia muris.
Vrbs dilecta mei ſtatio pulcherrima amoris,
Dum voluere Dij, ſed Auerni horrentis imago,
Principe dimiſſo, quin & modo Patria menti
Dulcis adhuc memori, patrias ſi corripis iras.
Parce fugæ, & placido regalia pignora vultu
Reſpice, ad aſpectus nunquam reditura paternos.
Sancijt immeritum Dis illacrymabilis omen,
Conſciaq; æternis arriſit Erinnis ab vmbris.
Vix foribus digreſſa cauis vlulantia ab antris
Carmina vicinis vigilanti ſuſcipit aure.
Mentitur ſimulacra Pauor, ſpolijſq; figurat

Terrorem oppoſitis Lunæ dubitantis ad ignes.
Ingeminat nudis carmen miſerabile Bubo
Sollicitus ramis, feraliaq; omina cantat.
Ipſa ſibi trepidos auget miſeranda timores,
Stridor & armorum circum vaga membra ſonantum
Viſus ab internis extemplo recedere ſyluis.
Ah quoties Redeamus, ait, redeamus in Vrbem,
Dum licet impune, & Superos fuge Virgo minantes.
Hæc vbi corda Pater pupugit, ſed Clodius intrat
Iam deuotam animam, & Patrem iubet ire fugatum.
Perfundit manante gemens hucuſq; ſeniles
Fonte Comes rugas, & quod peragit miſer, odit.
Tum quia præcipiti ſuper arua nigrantia curſu
Illa impellit Equum, curſu comitatur euntem:
Iamq; propinquabat meliores Lucifer horas
Crine vehens, nondumq; comis Aurora nitebat.
Quando recuſantem ſtimulis greſſuq; citato
Cornipedem exhauſtum; poſquam ſe mænibus Vrbis
Sat putat ereptam, ſecuro condidit antro.
Hoc ſecreta ſpecus reſpondet ad ora remoti,
Quò laſſum primò ſe Gallicus intulit Heros.
Illicet abruptæ commendat amabile pondus
Telluri lacrymans, & Francum nomine Regem
Sæpe vocans, miſerum ſi ſic leuet ægra dolorem.
Hei mihi quo raperis Clodi? quid ad vltima ſæuus?
Vota, preceſq; vagæ deſcendere ſpernis Amantis?
Non Ego connubijs lætum producere tantis
Tempus amen, Superos ſcit Virgo ſiqua ſecundos,
Tanta petat. Quamquam ò! ſed caros viſere vultus
An-

Ante obitum liceat. Quid me pulcherrime rerum
Deseris, heu famulam nunquam visure sequentem?
Hei mihi supremas non excipis aure querelas
Crudelis Clodi (sic fata, interq; senibes
Procubuit deuicta manus, animamq; repressit.
Audijt hæc Princeps, longo nam trames in antro
Vocis iter patitur, Barathri quam exire cauernis,
Et Styge decepto credas euadere ad auras,
Tam segnis, sonituq; grauis. Nemoralia linquit
Strata dolens Iuuenis, simul, ò si talibus, inquit,
Deuoueor laruis, sine te quod iniquus amatis
Mænibus excessi, pœnas en pronus adoro.
Id saltem misero solatia præstet amori,
Vel tecum tua damna pati, semperue dolere.
Ast Animæ si vera meæ mihi funera defert
Aura leuis, vel si dulces, mea gaudia, Manes
Pulchra meum circum seruant vestigia corpus,
Nil lucem moror infaustam. Confundite mortes
Innumeras Superi, meritumq; absumite pectus.
Mors mihi munus erit, socium si ad funera poscit
Hermenegilda suum. Maiori hæc voce peregit,
Et pepulit ceruice solum, sensusq; coegit
Officij sentire moras. Reuocata sodalis
Interea auxilijs ad dicta nouissima Virgo
Extulerat cum mente caput, sed credidit vmbras,
Vanosq; vmbrarum lusus, nondumq; fugaci
Expulsos cum nocte metus. Iterum ergo soporem
Lumine vestigat clauso, patiturq; quietem.
Vsq; adeo miseros, crudelia sydera, Reges

Per

Per varias agitare vices iuuat? Addite finem
Innumeris miſerata malis, nec pondere tanto
Res premite aduerſas, meliora reuoluite ſæcla.
Ah ſaltem alternos ſi tunc Fortuna dediſſes
Agnouiſſe ſonos, cæcique recondita ſaxi,
Vltimus ille dies, vicibuſque, maliſq; fuiſſet.
Et iam Mygdonium rubicunda cubile relinquit
Purpureos radiata ſinus, primoq; madeſcens
Rore Aurora comas. Grauiori Clodius ictu
Percitus, attonitam ſuſtollit ab æquore frontem,
Errantem & titubans reuocat per prata Pyroum.
Obſequitur iuſſis ſonipes, atq; aurea hiulco
Fræna labro poſcit, Domino inſiliente, beandus.
Aggreditur tum lætus iter, Regiq; dolenti
Diſſimilis, campo ludens ſpatiatur aperto.
Tum celeri biuium pede corripit, atq; ſiniſtro
Permittit dubitata diu veſtigia calli.
Nec longè progreſſus erat, cum proſpicit alta
Caſſide adeſſe Virum Princeps, quo pulchrior auris
Veſcitur haud vllus mortalibus. Emicat ore,
Inſignis ſpecies, impolluſq; ſerenæ
Frontis honos, niueo lanugo incognita mento,
Cognita purpureis ſed Eoa corallia labris.
Par ſuperis aſpectus agit, micat omne decoro
Inceſſu corpus, gratoq; exornat ouantem
Pondere Equum, mæſto ſed enim pallore nitentes
Languebant, cordiſq; genæ tormenta canebant.
Obſtupuit, formæq; ſimul, formæq; dolentis
Signa (dabant formæ mira incrementa dolores)

Opta-

Optauitq; Viri auditis ignoſcere Fatis
Ipſe miſer Princeps, tum ſic affatur iturum.
Si modo iuſta peto, quis te pulcherrime, mæror
Excruciat? quæ cauſa viæ? quod nomina Cœlum,
Quæ tibi natales Tellus dedit? ore benigno
Maieſtas quæ afflicta ſedet, mouet ipſa rogantem,
Teq; meis facilem promittit candida votis.
Tum ſubit Ignotus, ceu ſomno excuſſus ab alto,
Quæ te cura mouet, Iuuenum fortiſſime, diros,
Queis agor infelix audire ab origine caſus?
An quod & ipſe paris patiaris pondera Sortis,
(Nam video) mecumq; gemas? me iuſta timentem
Abſoluit ratio, ſi promere iuſſa recuſem
Singula, quæ profugo fas eſt aperire, patebunt.
Gallia me genuit, placidiſſima Mater, at inde
Ira nouercales ſuccendit acerba furores.
Exul eo, totum me fata agitare per Orbem
Ipſe iubet Genitor; Genitoris ſæua ſubirem
Vota magis, citius ſi funera dura ſubirem.
Innocuis quæſita ſalus, quæſitaq; per me
Libertas, tales potuit mihi poſcere pœnas.
Aſt incerta premo dudum veſtigia. Tellus
Nulla mihi petitur, tantumq; ea cura relicta eſt,
Vt patrij fines, Cœloque, Soloq; recedant.
Ingemuit miſerans Princeps, quem protinus alto
Pectore permouit Pietas, Sortiſq; fatetur
Grande ſcelus patraſſe vices, cupiduſq; iuuamen
Tradere, Tantorum quid, ait, ſecreta malorum,
Gallia ſi genuit, primordia pandere abhorres?

For-

Forſan & auxilium, ſi quod modò regia proles
Ius habet in populos, aptum perferre licebit.
Quamuis inſidijs Patruorum proditus errem,
Sum Childeberti Soboles tamen. Hæc vbi dicta
Audijt alter, Equo præceps ſe fundit ab alto,
Et lacrymas cum voce ciet, Succurre precanti,
Si conſanguineæ ſupereſt iam gratia Gentis,
Spes Regni, Patriæq; decus, tibi ſanguine iunctam
Statildam cernis, Clodomirumque Parentem,
(Sic inimica mihi voluiſtis ſydera!) nactam.
Ne precor, infandas iubeas perſoluere Patris
Progeniem pœnas. Potuit Mezentius Aſtris
Aeneæ dignum lacrymis, hoſtiq; gemendum
Expoſuiſſe caput, potuit quoque caſta paternum
Antigone excuſare nefas, ſtirpiſq; minorem
Aedipodioniæ Superis componere partem.
Hei mihi! nil ex me patrijs venit auſibus, vnum
Id facinus fateor, Fratrum tentaſſe tuorum
A' vinclis arcere manus. Dum talia fundit
Principis attoniti chalybe arma rigentia crebris
Singultans perfundit aquis, ſtupet ille, nec audet
Credere adhuc, ſed digna fidem præſentia cogit
Virginis. Excelſo Numitoris dicta repente
Accedunt animo, tantoq; propinqua periclo
Membra prius, gratis Iuuenis complectitur vlnis,
Promittitq; manum, ſecumq; ad Patria Regna
Inuitat blandus, ſortemq; in vtramq; ſodalem,
Vt ſperet meliora iubens. Sine more receptat
Hanc hilarem Sonipes, Socioq; potente ſuperbam:

Pro-

Procedunt pariter, varijs ſermonibus horas
Conciliant, longamq; viam. Stupet ambo viciſſim
Palladis is formam, ſed Apollinis illa decorem,
Attamen armati. Memorat qua fraude Virago
Conata illuſtri, regalia pignora ſæuo
Demere ſeruitio. Sed enim niſi nobilis hoſpes
Fortuito properans inſtanti colla negaſſet
Carnifici, iniuſtæ ferrer data præda ſecuri.
Scimus, ait Princeps, Numitoris geſta, fidemque,
Scimus & immeritos paſſumque, patiq; dolores,
Dum te quadrupedi raptam per plana citato,
Amiſſamq; gemit nulla ad ſolamina pronus,
Talibus erubuit Virgo, tantiq; tumultus
Inuaſere animum, reſponſa vt nulla remittat,
Detectos trepidans vbi iam dignoſcit amores.
Tum ſic ipſe leuat pauidum ſermone Pudorem.
Quin etiam (mihi veſter enim Numitore fatente
Notus Amor) ſi nos Patriæ bona ſydera reddant,
Vos Ego connubijs, æterno & fœdere iungam.
Hic magis attonita eſt, ſpemq; inter, & inter Amorem
Ducta, interq; metum, ad grates vix apta modeſtas
Inuenit orſa, ſuo nondum auſa quieſcere fato,
Hactenus aduerſo, & rebus ſtupefacta ſecundis.
Septima iamq; altè produxerat hora ſereno
Igniuomum Titanà Polo, Nemeeſq; Leonem
In miſerum ſæuire ſolum geminante iubebat
Circumquaq; rogo, cum victus ab æſtibus vmbram
Clodius obſeruat, ſedes erat apta quieti:
Ergo fatiſcentem ſub iniquo ſole ſodalem

Paruam opportunæ, requiem depoſcere frondis
Admonet, hic miti pariter ſedere ſub aura.
Neue graue armorum violaret mollia pondus
Pectora, thoracem Virgo, galeamq; reponit.
Nec mora, feſtinat feſſis irrepere ſomnus
Artubus, & cladis peritura obliuia ducit.
Lucrabatur iter dudum ſenioris Alumni
Hermenegilda Comes, non illa ardentia Phæbi
Fulgura, non æſtus, nullos timet illa labores.
At celeri progreſſa gradu vicina terebat
Prata loco, tenues vbi par regale ſopores
Carpebat. Perijt, caput vt cognouit amatum
Fœmineo lentam lateri ſociare quietem.
Namque tumeſcentes thorax exutus honores
Diſtingui patitur, gelidus per caſta migrauit
Oſſa rigor, ſenſuſq; dolor dedit ire vagantes.
Ocyus illa ruit, Terramq; ſonantibus armis
Impellit, Clodſq; breuem rapit inſcia pacem.
At caſu concuſſa graui reuocauit ad vſum
Confeſtim attonito profugam de corpore mentem
Viuaces flammas multum indignata fateri.
Rurſus Equum inſcendit, nec enim dimiſit habenas
Ante cadens, curſuq; volat per aperta rapaci,
Dum ſtupet ad viſos Princeps cum Virgine caſus.
At nondum ad mediam proceſſerat anxia leucam,
Cum calamum proferre ſeni, nigroſq; liquores,
Taliaq; albenti committit carmina cartæ.
Hæc notat infido malè prodita Virgo Sicambro.
Quam mihi das, habeas, qualemq; merere ſalutem.

Per-

Perfide Principibus non ſic, licet impare ſceptro,
Virginibus ſeruanda fides. Nec ſcribimus iſta,
Durus vt infandæ dimittas Pellicis vſum,
Namq; odiſſe Virum licuit, cum cernere turpem
Fata dedere Virum; Sed mens vt conſcia ſoluat
Supplicium ſceleris, quod iam patuiſſe dolebis.
Pro te cara mihi ſi Patria, ſæue, relicta eſt,
Nil pudet, aut doleo, nempe ignibus vſta pudicis.
Scilicet optatam reditus prohibetur ad Vrbem,
Non tamen æthereæ confinibus arceor ædis.
Perfruere infandis amplexibus, exuat artus
Vmbra meos donec, noctesque, dieſq; quietem
Eruat immeritam, ac fæda cum Pellice Somnos.
Nec volat hora procul, mihi iam per inhoſpita raptæ,
Quærit Equus proprias ad commoda funera ſedes.
Scripſerat, & gemma folium trepidante plicatum
Signauit, Ligeroq; dedit feſtina ferendum.
Atq; ait, I geminis, nuper quos vidimus vmbræ
Acclines, ò fide, Viris, & vtriq; Papyrum
Hanc offer, mox hic reducem, (præpeſq; redito)
Præſtolor interea, meq; hoc ſub Robure ſiſto.
Dixerat, immiſſis improuidus vrget habenis
Cornipedem Senior, fallacia iuſſa capeſſens.
Cum diuerſa tenens, alio moritura ſub Axe
Impulit illa ſuum, Comitemq; inſana reliquit:
Legit, & ingemuit Princeps, vbi ſortis iniquos
Perſenſit pugnare dolos; Mora nulla Pyroum
Corripit, & ſociam pratis inuitat apertis.
Ocyus illa vagum raptis caput occupat armis,

Pectoraque, & patulos lacrymans irrumpit in agros.
Atq; ait, Heus igitur ſemper tibi cauſa malorum
Sanguis erit, nobiſne adeo tua damna petuntur?
Subſequitur Senior, ſed cum de Robure quærit
Obſeruata legens retrò veſtigia, Robur
Inuenit, at nuſquam Virgo eſt. Stant attamen alta
Argumenta fugæ, nondumq; refuſus in æquor
Puluis. Agit toto clamorem pectore Princeps,
Quò mea vita fugis? vel quem fugis? vnde diremptum
Cor mihi diripitur de pectore? quis mihi reddit,
Quis retinet? ſi que illa ferox, aut inſcia facti,
Hos odit reditus, quis me ſuper aera portat?
Dic vbi ſit, quicumq; vides. Tenet illa latebras,
An fugitiua gradu quatit arua remota volanti?
Heu moriere (animum dicti ſat noſco tenacem)
Et culpa moriere mea. Vix inquit, & ardens
Inſtaurat curſum, greſſuſq; ad ſigna recentis
Inuehitur, Statilda ſubit mærore ſilenti,
Nonque ſuum lacrymis crimen perſoluit Obortis.
Aſt omnes ſuper ingenti præcordia planctu
Percutit infelix, luciſq; oblitus, & auræ
Mente furit Senior, quippe irrita cura volucres
Diſtinet alipedes. Alium volat effera ad orbem,
Atq; potens voti latet Hermenegilda fugacis.
Vt ſpes omnis abit (iamque inclinabat anhelos
Phæbus Equos) curſu Rex feſſus in aggere vaſti
Conſedit Tameſis. Parui poſt tempora tractus
In mare procurrit Tameſis, regalis, & ingens,
Et lato damnum breuitatis gurgite penſans.

Mer-

Mercibus inſignis varijs fluit, adque vehendas
Semper apertus opes, vaſtis ſatis apta carinis
Molibus vndarum coeuntibus oſtia pandit.
At non hic requiem, nec inopportuna labori
Otia fide Liger potis es permittere. Triſtis
Inde ſalutatis Ducibus fugis, atq; per amplos
Cornipedem campos incerto errore fatigas.
Tum quoq; in ancipites per inhoſpita littora caſus
Clodius irrueret, ſed ſpes quæ nempe locorum
Dirigat ignarum? Gemit irritus ergo, diuque
Ambiguus de morte ſedet; Tandem vnica reſtat,
Certaq; cura mori. Nec tutius, inquit, acerbum
Ibimus in Fatum, niſi toto vbi quærimus Orbe
Qui iugulent miſerum Patruos. Prodeſſe Nepoti
Iam licet, ò cupidi Regnorum, vulnere ab vno,
Et vobis, pariterq; mihi ſolatia manent.
Iam redeo. Procul ille nimis, qui tuta fugacem
Quærere permoneat, redeo, pronumq; bipenni
Reddo caput, renouet modo patria Terra Ramyros.
Oppreſſum tanto neſcit Statilda dolore
Compellare Virum, tantumq; vndantibus illum
Luminibus, ſæuoſq; imitatur pectore luctus.
Hæc inter celeri præterlabentia curſu
Flumina veliferam comitantur in æquora Pinum.
Quæ tamen, vt fauſtos paulum ſuſpendere curſus
Exorata, fauet, mox carbaſa plena coercens.
Tum magis aptato quà margine prominet impar
Littus, vt excurſum ſiſtant, retinacula mittunt.
At Rex excitum ſumma de Puppe magiſtrum

Ingenti mercede prius, dein vocibus orat,
Vt qua Santonicus circumfluit obſita Pontus
Littora, Sequanicis contermina littora Terris,
Se, Comitemq; vehat; Gemuit, lacrymaſq; refudit
Nauita, Sequanicam dum contigit auribus actam.
Atq; ait, Ignoſcas, ſi iuſſa ſubire recuſem,
Quiſquis es, & facilis iuſtas intellige cauſas.
Ecquid enim cupiam, Cœloq; ſoloq; pudendum
Diſſimulare ſcelus? Noſtro data cura labori
Errabat pelago, Patruorum& fraudibus actus
Clodius. Aggreſſa eſt maiori mole Carinam
Pinus, & ignotum nobis tulit improba bellum.
Aeſtibus at pelagi, noſtroq; errore ſolutos
Libertate Abies deluſit protinus vncos.
Ipſe Ego (proh demens, vitæq; cupidine cæcus!)
Ipſe Ego diuerſum detorſi in cærula clauum,
Qua via recta magis. Replerunt Carbaſa Venti,
Et ſceleri fauere meo. Nam fugimus omnes,
Et ſolus certo vitæ in diſcrimine Princeps,
Nec reuocare ſemel licuit mala vela, remanſit:
Nos ideo miſerum patrio de littore longè
Fatum expectamus, ſpontanea ducere certi
Exilia. Ad dulces potius vetat ire Penates
Quàm metus, infelix pudor, & mens conſcia facti.
Ah vtinam noſtra iam demum morte liceret
Reddere ſubreptæ Gallorum gaudia vitæ.
Talia dùm memorat, communi turba dolori
Conſenſit gemitu, veniamq; dolore redemit,
Quam tacitè prius ille dedit, dein lumine rurſus

Obla-

Oblato, tremuere Viri, Nec Principe viſo
Suſtinuere acies. Vdis affundit in herbis
Quiſq; genu, & veniam repetita voce precatur.
Et licet ignoſcat, cuncti meruiſſe fatentur
Innumeras pœnas, veniamq; rogaſſe quæruntur.
Tunc auferre moras Heros iubet, atq; citato
Præfixum curſu tentare per æquora littus.
Suſceptis iam læta viam compenſat ademptam
Alnus Principibus, raptimq; in cærula fertur.
Tandem & felici veniam meruere fauentes
Aflatu Aeolides, & deterſere pudorem
Obſequijs pia flabra nouis, ſic Numine dextro
Subſidium populis Regnator egentibus affert.
Dum vario interea Londini excuſſa tumultu,
Virginis abſceſſu comperto mœnia frendent:
Mittitur hinc ſpeculator Eques, ſecat Aequoris illinc
Ingentes dubio Pinus conamine fluctus.
Aeſtuat impatiens, ſimiliſq; furentibus ardet
Rex Genitor, grauiuſq; tamen lacrymatur Amaldus,
Inque ſalutatum linquit moriturus Haraldum.
Hactenus arma Pudor tenuit, ſoliſq; furores
Mentibus admiſſi, peragent modo, crimina dextræ.
Tu modo, ſi Vatum celebrata eguere priorum
Pectora, Pierio confirma lumine mentem
Calliope, venit inſueto noua cura labori,
Sudoreſq; ſacram labefactant vndiq; laurum.
Iam vaga Phœbæam de culmine Libethræo
Expoſuit mihi Virgo facem, ſeriemq; nefandi
Criminis, atq: viam moto præluminat igne.

Tasso XVII, 3 e Bellonio.

Iam

Iam tuba terribili lymphata per oppida cantu
Clothario mandante tonat, diuulſaq; priſcis
Spicula delubris poſita rubigine fulgent.
Odryſias infanda manus in bella parari,
Indomitoſq; trucis ſuccedere curribus altis
Gradiui fatearis Equos, niſi protinus Alpes,
Non Rhodopem videas, nec murmura flebilis Hebri,
Sed Rhodani inſolitæ confundant littora clades.
Non nuribus, non cara quies ſenioribus, ipſis
Arma ſimul pueris præpoſtera porrigit ætas.
Nec Patribus ceſſare licet, quicumq; recuſat
In facinus dare triſte manus, ſceleratus habetur.
Quemq; pudet non eſſe reum, furor omnia cæcus
Poſſidet, inque domos communis regnat Erinnys,
Iuratuſq; venit funeſta ad claſſica Mundus.
Miſit in arma viros quoſcumq; fluentibus ambit,
Et Rhenus, Rhodanuſq; vadis, dedit ire maniplos,
Zelanduſq; ferox, & ſæua Brabantia fortes.
Tu quoq; ſæue ruis ſcelerata in bella Menapi,
Horrendoq; Comes ſequitur Teruanna ſuſurro,
Et Geſſoriacos portant vexilla tumultus.
Hos omnes Gariberte moues, furijſq; nefandis
Exemplo truculente vias, & limina monſtras.
Nobilis Ambianas hinc Somanobriga cohortes,
Aſprando Ductore, rapit, mox Belgica duros
Bellouacos regio, funditq; ſuperba Caletes,
Quæq; gerit tumidum poſitore à Cæſare nomen.
Portant Iuliacæ metuendum in prælia robur,
Rotomagæq; manus, quas dat Velocaſſius ardens,

In-

Indutu vario, ſed mente ad crimen eadem.
Vos quoque Atrebates iniuſtæ ſpicula cauſæ
Obſequioſa truces, animoſque offertis iniquos.
Neruius inde furit, Bagacique proteruus, & vna
Cameraci oſtentat ſparſas per rura cohortes.
Magna nimis ſeries, ſi ſingula pandere tantem
Oppida, crudeli iam tùm malè dedita bello.
Iuſsit Eburones cumulare Phalangibus iras
Rex ferus indomitas, denſas Condruſe Sariſſas
Obijcis, & faciles in prælia ſurgere Segnos.
Et tu belligeros Cæręſie fortis Alumnos,
Tuque trahis Pęmane, Comes Veromanduus vrget.
Syluanecta pares pugnę ſurrexit in æſtus,
Auguſtique ſuis præfecit viribus Vrbem.
Quique bibunt, Iſaramque grauem, Varumq; fugacem,
Tarbelli totę laxant ſe in prędia ripæ.
Tum Diuodurum, Rhemos, Leucoſque, feroſque
Lingonas, & ſociam compellat Amulius Vrbam.
Confunditque ſimul reliquas de gente Phalangas
Heluetica. Tigurinus adeſt, acerque Tugenus,
Ambronicuſque pati ſæui diſcrimina belli
Conſcius, haud medijs vllus tolerantior armis.
Nec minus infandas rabidi iuraſtis in iras
Sequanici, veſtrum eſt imponere nomina Regno.
Tantus honor populis! Et tu ciuilia laudas
Arma nocens Treuir, quin Rauracus, atque Trebocus,
Vangioneſque vagi, formidatique Nemetes,
Si ſemel irati, plauſus comitante Iugerno,
Atque Vbio, certant funeſtæ acquirere pugnæ.

Vos quoque, quos Rhenus circumfluitantibus ambit
Gurgitibus, parui maris insula vasta coitis.
Atqui tergeminas totidem in dispendia leucas
Distrahitis; partem dat proxima Gelria primam,
Traiectense solum simílem, ac Hollandia partem.
Tu quoque (sed nostri, modo maxima Gloria Regis)
Schenckie, qui bifidi spectans diuortia Rheni,
Immittis noua bella Mosæ, Vahalimque sonantem,
Fraternum certamen amas, stimulasque furores.
Talis Clotharij mandata exercitus audit.
At Clodomirum non ipsa superbia sæuum
Extollit, melior nam fræna nefasta recusat
Aurelia, & Domini poscit melioris habenas.
Is tamen amissi quo sentiat aspera sceptri
Damna minus, cunctos, sic Fratre volente, coercet
Heluetios, reliquis illos moderante maniplis.
Iamdudum rapidis deuecta per aera pennis
Natorum festina minas, furiasque rebelles
Famaferens, veris maiora timoribus addit,
Et dominatricem cumulat terroribus Vrbem.
Scilicet innumeris procedere millibus hostem,
Et nimio immensos decrescere milite Campos.
Vexillis squallere diem, Mundique feriri
Sydera finitimi, confundere spicula lucem,
Et Terram radios iam desperare negatos.
His Chramnem celerare Ducem, summamq; potentis
Imperij, bellique omnes referebat habenas
Dirigere; hæc geminis Cynosura nefanda Tyrannis.
Nec procul Vrbe feros scelerata hastilia Natos

Per

Per ſata, per campos, ferroque, igniq; ruentes
Suffixiſſe. Venit paſſim, venit vltimus Orbi,
Exclamant, Mora nulla, dies; Quid ſæua dediſti
Aetatis natura vices, quas dicere ſeras
Cogimur, & miſeras? O' certè in morte beati
Fauſtum Clodouei queis ducere contigit æuum!
Illa diu palmis, clariſq; decora triumphis
Sæcula, Sequanicis felicia ſæcula Regnis.
At nos degeneres, proles vix nota, Nepotes
Seruili ceruice iugum, ſiq; additur vltra
Seruitio deforme malum, perferre paramur.
Heu quid reſtat adhuc lethi niſi quærere Famam?
Armatos perijſſe iuuat, pudor abſit inermes
Hoſtibus oppoſuiſſe manus, collumq; recline.
Talibus infrendens petit arma Iuuenta iuberi,
Nec ſatis Imperij patiens iubet arma parari.
Additur inſolitis noua cauſa tumultibus Alnus
Aduentus, Numitor qua iuſſus abire per æquor,
Franciq; errabunda ſequi veſtigia Regis.
Incendit faciles (nam ſudor hic vltimus) iras
Ipſe Sygiſmundus, greſſumq; imitatur euntis
Erminij, faciemq; grauem, canoſq; verendos.
Impius ah quoties venientibus obtulit enſes,
Obtulit & clypeos, Galeiſq; petentibus haſtas.
Nec iam caſſidibus iuuat oſcula iungere clauſis,
Aut ſummum proferre vale, ne iuſta morentur
Bella, laceſſitum laudantia bella dolorem.
At cernit Regina truces inuita paratus,
Nec ſibi & in Sobolem fas bella mouere, Nepotes

Seruet vt Imperio, credit. Timet, æſtuat, horret,
In ſua conflari dum viſcera cogitat enſes.
Præteritis inuicta malis, inuicta futuris
Vnum mæſta, nefas trepidat, dimittere ſceptrum
Certa prius damnare ſuis, quam cædibus enſem,
Armataſq; manus infanæ opponere Proli.
Sic animis, ortamq; pijs, cultamque, ſimulque
Sic ſe malle mori. Ruit ergo per agmina, iterq;
Vulgus vbi ſine lege fremit, triſtiſſima tendit.
Tum ſic orſa loqui (ſiluit perterrita dudum
Maieſtate graui, & greſſu plebs tota receſſit)
Quis furor, ò ſolijs longe mihi carior ipſis,
Carior hoc ipſo, redimit quod tempora, ſerto,
Clodouei gens fida mei? ſi nulla regendi
Me mouet ambitio, & facilis iactura volenti,
In conſanguineos & vos iurabitis enſes?
Quid iuuat innocuum ferro libare cruorem?
Quid refert Regnumne mea ditione gubernem,
Clothariuſue magis? compeſcet auara furorem
Progenies, vbi ſæua ſui fomenta furoris,
Me pulſa conſumpta cadent. Hæc ſceptra Nepotem
(Nota loquor) legata vocant, ſed cedere cauſæ
Haud vnquam pudor iniuſtæ, dum tollere peius
Fas greſſu cedente ſcelus. Quod denique Prolis
Ni Regni crudelis amor ſaturetur adeptæ,
Me rapite, ò, miſeram Populi, ſic cauſa fugati
Numinis occumbat mecum, mea crimina Cœlo
Sunt inuiſa ſatis, meruiq; hos ipſa labores.
Me rapite, & rabidis Genitricem tradite Natis,

Si pacem mea fata parant. Quamcumq; malorum
Stat ſeriem, molemq; pati, dum Gallicus abſit,
Abſtineatq; diu bellis ciuilibus Orbis,
Nil vitæ mala vota moror. Dein mæſta Senatum
Conuocat attonitum, paribuſq; verenda querelis
Atria complet. Adeſt, Dominæq; ad verba dolentis
Confundit gemitu lacrymas, & viſa decenti
Maieſtas excelſa togæ molleſcere luctu.
At non degeneri ſubmiſit corda dolori
Armandus, cui vita fidem, vitamq; ſecuta eſt
Vſq; fides, taleſq; animum vulgauit in iras.
Quid fortes, Regina, animas, decoriq; libenter
Præmoriturà tuo iamdudum pectora tentas?
Anne quod infeſtæ crudelia ſpicula Prolis,
Cognatumq; ſcelus tua Regna arcere recuſent?
Vſq; adeone tibi mentes latuere tuorum?
Et pudet, & doleo. Nondum de corde receſſit
Clodoueus, ſerieſq; ſacri ſat ſanguinis extat.
Quin procul è toto reuocatus Clodius Orbe
Inferat vltores Patruis immanibus ignes.
Quo virtus antiquà Virum? tantone pudore
Obruimus monumenta Patrum? ſic fæda tenaces
Fecit vita ſui, fideiq; pudenda repugnat?
Poſſumus Imperij raptos amittere faſces,
Poſſumus & vinci, ſed non capere arma nequimus.
Dixit, & obticuit, nam dextera promptior illi,
Conſiliumq; potens, facilis quàm copia linguæ.
Inde graui aſpectu Lurcamus inane relinquit
Triſtis ebur, non ille feris incognitus armis

Dul-

Dulces ante toros, ſed poſtquam bellicus ardor,
Emeritus tædis in coniugialibus hæſit.
Pronior in pacem, ſæuiſq; tumultibus olim
Auerſum pectus, primæ ſunt Pignora curæ.
Tunc ita. Magnanimis permiſſa hæc hactenus auſis,
Nec tua propterea fortiſſime dicta refellam,
A' te cum veniant. Tantæ miracula linguæ
Maiores ſanxere manus. Sed victa recumbent
Pergama, vbi ſolus tutabitur Ilion Hector.
At nos iura vetant, Cælique, ſoliq; profanas
In Dominos armare manus: fac velle, nec vnquam
(Si pietas modo nota ſatis) Regina parare
Impia bella ſinet. Quid enim Ductoribus ipſis
Deſerti petimus? partem tenet æquor opimam,
Partem carcer habet. Manibus quæcunq; nocendi
Nati iura tenent, in tuto copia Regni eſt,
Si Reges habuere ſemel. Dum talia iactat,
Armando frendente, hilaris penetrale ſubibat,
Temporibuſq; ſonus diſpar, nam fulgidus armis
Clodius erecta properabat caſſide pulchrum
Clothildæ proferre caput, volat illa, Ducemq;
Corripit amplexu, ſolijſq; imponit auitis.
Extemplo conuerſi animi, iamq; ipſe negata
Arma diu Lurcame paras, ſtupet omne decoros
Concilium vultus, obtutuq; hæret in vno,
Mutatamq; labor vanus memorare priorem,
Scilicet in melius formam. Diffunditur Vrbis
Nuntia fama vijs, pulloq; exoluit amictu
Mœnia, ſquallenteſq; Viros, regalia tecta

Læ-

Lætantes Populi grandi agmine circumſiſtunt.
Vix miſsi ceſſere Patres, vix intima ſedes
Clothildam reduci lætam cum Rege recepit,
Iſque vbi iam nullo nouit ſe teſte notari,
Hæc inopinus ait, Pudet irrita texere tandem
Gaudia, & ingenti perſonam fingere Regno.
Par ætas ſiquidem, facieſque ſimillima Regi
Hactenus ignotis potuere illudere Terris.
Non tulit hæc conſtans Regina, ſoloque refuſa
Spe dulci fraudata ruit, Falſa ergo ſalutis,
Clamat, Fama venit, rurſuſne ſub æquore Natis
Victima, adhuc noſtro ſperatur præda furori?
Siſte queri, tunc ille refert, emerſit amaris
Iamdudum ereptus, ductuſque in tuta periclis;
Et rear hactutum cernes: Ego munere vitæ
Non ſemel obſtrictus, cupiduſque reponere partem
Offitij, ſimiles inuiſa ad mænia vultus
Afferre, & mentes ſtatui firmare caducas.
At mihi præterea nullus labor inde morari,
Dum redeat. Secreto odiorum pectore cauſas
Æternum foueo, iuſtiſque furoribus angor.
Quin age, & inceptæ deſcende ad fœdera fraudis.
Ipſe Ducem, quem tu iubeas, bellique miniſtros
Ipſe legam, dicamque, alium tum certus ad Axem
Ferre gradus, reducem memet ſpondebo maniplis.
Verior interea falſo pro Principe Princeps
Aduenict, fortique nimis! Virtute repellet,
Vel ſi conuulſis Aquilo regionibus iret,
Atque Eurus, facileſque armis ſæuire Triones,

Si

Si coniuratum ferat obuia tela Barathrum.
Sic ait, & ſexum, nomenque, altumque recondit
Hermenegilda genus, ſingultuque ora repreſsit.
Scilicet hæc Patrijs dudum de ſedibus exul
Errat, & inuiſi veſtigia quærit Amantis,
Quem putat infidum, quo certius obuia contra
Arma ferat, pulchroque cadat iugulata lacerto.
At dictis hilarata grauem Clothilda dolorem
Proijcit, atque iterum diſcit ſperare Nepotem.
Tum grates Equiti, ſedenim retuliſſe decebat,
Officioſa refert, legionibus inde ſupremum,
Si lubet eſſe Ducem, ſceptrumque agitare precatur,
Dum ſaltem ad patrias concedat Clodius Arces.
Multum queſta graues tantæ virtutis in hoſte
Deprendiſſe iras. Sed non hortatibus alter
Blandiſonis cedit, pulchro ſedet ore dolentis
Mæſta fides animę, formæque lucratur honores.
Tum quia mens Iuueni nulli mutabilis hæret
Ire ſtatim rutilos ac Phoſphorus egerit ortus;
Ad ſummum penetrale gemens Regina vocari
Imperat, & ſubitos Dagobertum exquirere nutus.
Ille grauis facie, factiſque verendus, & annis
Aſtitit (addebat laudes, in bella feroces
Clodoueo tribuiſse manus) Hunc ergo Cohortum
Ductorem dicunt; inopino lætus honori
Aſtupet, & grata vix munera voce rependit;
Hinc dimiſſus abit, poſitumque vocatur ad oſtrum
Diſcubitura epulis ficto cum Principe Mater.
Illum omnes oculi ſignant, nitet Aula paratu

Pluſ-

Pluſquam regali, lætumque illuſa renidet.
Denique communi breuis hora admiſſa ſopori:
Iamque recurrentes alternis flexibus Axes
Prouecto refugis inſultauere tenebris
Lucifero, & Mundo rutilum tribuere Parentem;
Excita cum dubiam, ficto tamen ore renidens
Hermenegilda viam ſubit incomitata, diuque
Ancipitem inſtaurant vltricia claſsica Martem.
Illius armiferas præſentia ſuſcitat iras,
Formoſam ſed enim recluſa caſside frontem
Oſtentat, celeres ſpondetque in caſtra recurſus.
Turba ſed excelſum Primorum plurima euntis
Ductorum comitata latus, ſocijque precantur,
Certatim admitti, blando tamen illa recuſat
Cunctos alloquio, partitur lumina cunctis,
Principis egregij rectè mentita figuram,
Extollitque fidem, quam laudibus inſerit Aſtris.
Interea iniuſsis conuenerat vndique turmis
Grande fremens Regnum, meritaſque coibat in iras.
Hìc Amor in Reges Francis, quos fundere vitam
Ambitio generoſa mouet, facilique ſupremos
Obſequio docilis ſemper præcedere nutus.
Matrona cultores ingens, & Sequana mittit,
Et Liger Aruerni referens cognomina fontis,
Oceanique amplas vaſtat tuba martia ripas.
Namque volat ſacras, (quæ proxima) Celtica ad Arces,
Et Venetos effuſa rapit, quos Vingana frænat,
Nanneteſque truces, imitatur Oſiſmius audax,
Vorganio donante Ducem, Diablinta furores,

Cænomanuſque fouet, Curioſoliteſque ſequuntur:
Condate fortes componit in arma Redones,
Iuliomaguſque ſuos vellit de ſedibus Andes.
Et vos Cæſareæ non vltima gloria dextræ,
Surgitis indomiti conamina ad alta Turones.
Iurauere manus & Vnelli in bella fideles,
Carnuteſque pares, hos & ſimul Autrica pubes,
Gennabici & Proceres pompa comitante gubernant;
At Crociatonum tot in agmina cogit Vnellos.
Nouiomago moderante, animas vouere, fidemque
Lexobij extemplo Normandi ſedibus acti.
Ducit Eburouices Mediolanenſis ovantes
Hernicus, & Senones exponit Agendicus Actor,
Nouiomagique ſui Vadicaſſes ſigna verentur.
Auguſtæ venere acies, Tricaſsius illis
Obſequitur, pariterque ſacro de nomine laudem
Quærit, nobilitatqne iugum ferus Æduus. Inſtat
Seguſianus apex, nec ſe virtute minorem
Iactitat, aſt omni meruit dare nomina Genti
Æduus. Effundis per Gallica rura Phalangas
Martie Narbo tuas, braccataque corpora iactas.
Interni confine Maris, Varique recuſant
Pacificum littus; fugit Itala Climmata pubes,
Et geminas late dirimentia culmina Terras.
Deſeritur vaſti nemoralis ripa Garumnæ.
Et circumpoſiti latus arripit arma Gebennæ.
At mores hominum, fæcunda noualia, opeſque
Lugdunum tollunt, totam frænare Comatam
Promeritum. Geneuam pariter, pariterque Viennam

Allobroges ſubeunt, Centrones Axima ducit,
Atque Tarantaſia deſcendit miles ab Arce.
Inde Segalaunos generoſa Valentia fortes
Adnumerat, varia pubes ſub luce ſuperbit,
Cuſpidibus munita ſuis. Vocantius Vrbem,
Subſequiturq; auditq; Deam. Sub te auſpice pugnant
Auenio Gauares, Linguadocique feracis
Pignora, quæ ſubiens premit Heluius, atque Rutenus.
Volcę Tectoſages, Arecomicique Nemauſo
Sub Duce, & ingenti plebes deuota Toloſæ.
Tuque Mycenęæ maſsilia debita laudi
Egeris æquoreas in non tua prelia vires.
Tu quoque ab Hiſpanis, felix ò Transfuga, Terris
Vltima Aremorice ſtas ordine; laude ſed vlli
Impatiens ceſsiſſe plagę. Tu cincta Gebennæ
Aggeribus, Ligeri, Pyrenæiſque pruinis.
Nec Pax æquor habet propius tibi, feruet arenis,
Elicit atque Viros tuba bellica ſponte remotis.
Eliſaberris ouans Auſcos rapit indignantes.
Tarbellas comitatur Aquas, qui iura ſubiuit
Nomine confeſſus Dominas, venere Vaſates
Exiguis ducti ſpatijs, acreſque Bigerri,
Multus at egregijs Aruernus it ordo ſubarmis,
Et Petricorius, primo dat iura Nemetum,
Et regit auſpicijs Veſonna ſuperba ſecundum.
Lemouices idem ardor agros, & Pictonas auget,
Biturigeſque feros, nitidis & Santonas armis.
Gentibus ergo tribus Ductores maximus addit,
Atque iubet Celtas Dagobertus habere Coaſpen.

Narbonis Friderice manus, Aquitanica ſceptra
Vlderice capis. Numerus rear ipſe fauentem
Fortunam ſperare monet, ſuperoſque ſecundos.
Seruat at vna tuum Dagoberte Lutetia corpus,
Regiaque in varias funduntur compita turmas.

CLODIADOS LIBER NONVS.

ARGVMENTVM.

EXpers consilij Clothilda Deo feruida vota conuertit, & Duce Clodoueo Cælum inuisit. Hic omnes Astrorum certo à nobis nomine signatorum facies, in obsequium sc. occurrentium perlustrantur. Scitanti Clothildæ Clodoueus de Angelica natura, de Virgine Dei Matre, ac de Deo breuiter disserit. Tum in Iride, quam D. Ioannes in Apocalypsi stare circum Numinis caput asserit, vtpote in Idea Diuina, speciali fauore venturos Galliæ Reges perspicit, & hic Regiæ Domus expeditur Genealogia, qua ad Christianissimum LVD. Magnum deducta, nonnulla eius gesta connumerat, ac de Thracibus Triumphos ominatur. Aliqua de Christianissima Regina, Serenissimo Delphino, & Principibus innuit, & Clothildæ spiritum corpori reddit.

IAM furor insolitum iubet arduus edere Carmen,
Lucidaque aerio transmittere nubila lapsu.
Duc precor Vranie Permessi è valle vagantem
Pegason, alipedemque sacris moderare lupatis.
Vt micat arrectis ceruicibus, vtque sonantem
Hinnitu bullam ferus impatiente poposcit.
Nullum maior adhuc audacia sustulit æstrum,
Nullus ita æthereum propior succesit ad Orbem
Aonij de gente Chori, qui fulgida tantis
Carmina nominibus, tantisque repleuerit actis.
Tu, mihi tergemino qui lumina flumine fundis,
Fons cunctis, & origo bonis, tamen Vnus, & Vnum

Surg. 29, 40

Numen agens, ſacris permitte inferre Theatris
Mortales impunè acies, Cœloque vagari.
Nox erat, & cæcis obſederat omnia pennis
Vmbra minax, ſolitoque magis tenebroſa iubebat
Pallentes latitare faces, rutilæque negare
Oppoſitos ſibi lucis Equos; cum victa nefandis
Natorum furijs (quid enim truculentius vſquam
Cognatis odijs?) Clothilda quietis egentem
Cœlo animum vertit, Tuque ò, qui cuncta creati
Sceptra regis Mundi, ſacra qui legè ſubacto
Firmaſti ruitura Viro, noſtroſque dediſti
Stare diu (res ſi qua diu viget orbe) Nepotes.
Tu potes infandos bello punire maniplos,
Tu potes optatæ perituros reddere Paci.
Si meruere feris inſtantia funera culpis,
Adueniat Geticis deprædabundus ab oris
Miles, & ignotum dent barbara claſsica cantum:
Dum ne fraternis attritus ab enſibus enſis,
Fraterniſue cadat manus interciſa lacertis.
Si tamen incaſſum ruituri deprecor Orbis
Excidium, veniuntque pares ad crimina pœnæ.
Me ſaltem patiare Pater, ſi poſcimus æqua,
Spectandis arcere malis. Sim victima læſi
Prima Dei, Regnumque ſuas me ducat ad Aras.
Hæc, & plura ciet lacrymans, tandemque doloris
Pondere victa graui viduum gemebunda cubile
Occupat, & nitidos amnem profundit in artus.
Sæpe truces conqueſta toros, magnoque Parenti
Degenerem Sobolem, infortunatoſque Nepotes:

At nondum feſsis permiſerat otia Morpheus
Artubus illapſus, cum fulgure plena ſereno
Regia promicuit, repulitque à ſede tenebras.
Ecce tori Conſors radio cingente, iugalis
Aſtitit, atque oculos hebetauit luce fugaces.
Stelligeros humeros, Cœlum quacumque fatentes
Aurea non ſolito fulgens chlamys induit auro.
Hanc Adamas numeroſus obit, non ille ſuperbis
Pompa grauis ſceptris, effoſæ munera Terræ,
Cui pretium Eoi finxere pericula Ponti,
Sed Superis Adamas tantummodo dignus,& Aſtris.
Stat capiti Cœleſtis apex, Regnique fatetur
Argumenta micans Diadema coruſca recentis.
Nec tulit illa iubar, niſi dum dedit ille tueri,
Immiſitque oculis vires Cœleſtibus æquas.
Tum ſic, Pelle graues Vxor fidiſsima curas,
Neu magnis ſuccumbe malis. Venit ordine certo
Bellum ingens Gallis, venit inuariabile Fatum.
Linque Dei tentare animos, arcanaque dudum
Scrutari Domino latitantia pectore mitte.
Regnum Erebus, Cœlo patiente, inuadit, & iras
Ipſe Sygiſmundus conduplicat impius vltas.
Finis erit lacrymis, profugi cum dextra Nepotis
Puniet infidos diuerſa ad prælia Natos.
Multa tibi ſuperanda manent, fęcundaq; pænas
Viſcera funeſtæ tum fertilitatis habebunt.
Interea viſis lætabere ſæpius Aſtris,
Inſpectoq; Polo Terrarum damna leuabis.
Mecum age, & æthereæ ſtellato in tramite ſedis

Cara veni, ſæuos iam nunc dediſce dolores:
Nec mora, purpureis dextra auxiliante Mariti
Proſiluit thalamis nitidas ingreſſa curules.
Vrbis iamque ſuper molem, vicinaque fertur
Mœnia Syderibus, fulgentia nubila lucis
Inter, & ardentes late radiata nitores
Tollitur, & miſerum iam lumine deſpicit Orbem.
Me quoque, me Zephyri, vatem vectate volentem
Per ſuperos, placidoſque Equiti ſubſternite flatus.
Prœpetibus luſtrata rotis, agilique volatu
Tranſigitur regio prima aeris, illa micantes
Titanis radios, quos Terra reuerberat ardens;
Excipit, atque nouos prohibet ſuper æthera curſus.
Hœc nunquam conſtans, modo frigore preſſa, geluque,
Et modo ſole calens, madidiſque vaporibus extat,
Et nunc temperies, nunc torridus obſidet ardor.
Hæc varias gignit faculas, quas miſit ab imo
Humens Terra ſinu, confeſtim accedere Matri
Ipſa iubet fragili faciles vaneſcere flammas.
Si tamen ardentes Tellus calefacta vapores
Miſerit in ſuperas ardenti tramite partes,
Aeris extemplo ſub Regna fecunda penetrant.
Tum nubes, pluuiaſque mouent, globuloſque niuales
Præcipitant, coguntque Alpes latitare pruinis.
Poſt hæc Sole datum Thaumantias exerit Arcum,
Pulchra licèt facies, ſubſtantia nulla, figuram
Datque ſuperficies, Elementorumque colores:
Hinc geminæ quandoque faces, quas Caſtora priſci,
Pollucemque ferunt, gemini funalis ad inſtar,

Vna

Vna sed interdum rutilat, qua nempe secunda
Deficiente subit, sic fabula surgit, Amorque
Muneribus felix Diuum, alternoque recursu.
Tu quoque terribiles succendis in æthere flammas
Nauifragis Phrygiæ crudelis adultera Nautis.
Tum summis malis, trepidantum & vertici inhærens
Æolidum ventura canis certamina fratrum.
Cur inquam Æolidum, vanum si carceris antrum
Stare rear, nescit Terram fremebunda propago.
Immò vapor quoties suprema in margine sedit
Torpentis regionis, abit, refugoque volatu
Labentem impellit vapor alter, & horrida miscet
Prælia concurrens, par hunc, par impulit illum
Impetus, atque pari rabie transversa frementes
Incubuere solo, pelagoque dedere tumultus.
Hinc Oriens mittit furibundum disitus Eurum,
Fundit & Occasus Zephyrum, mediumque flagrantis
Austrum Solis iter calidum, septemque Triones
Debacchanti Aquilone tument, tum nomina ventis
Addit quisque suis, Naturaque iungitur illis.
Longum efferre Patrum sobolem, & de flamine flamen
Exortum, nos Astra vocant, prouectaque Phæbe.
En tibi perpetuis concreta rigoribus aer
Ostia proponit, quæ Terræ vbi contigit æstus
Aridus, obiectis, circumpositisque cohærent
Nubibus; hostilem fugit ille, atque æstuat ardens
Deseruisse plagam, motusque incenditur ardor.
Hinc tonitru, fulgurqua micans, & fulminis ignes.
Tertia prosequitur, vicinaque limina flammæ

At-

Attingit regio, quam nunc agitamus euntes.
Huc ſi maiori peruenerit incita niſu
Arida Telluris ſoboles, generatur, & ardet
Crinitus Cæli furor, & minitata ruinas
Lumina. Dumque ea commemorat (mirabile dictu!)
Paucos ante dies, qui prompſerat ora Comete
Sueſsionum rutilo feriebat acumine muros.
Languit edomitus venientibus ille fauillis,
Et puduit pugnare rotæ melioris in ignes.
Tunc ita Sponſus ait, Cerne has Clothilda Tonantis
Iuſtas cerne minas, hæc, quam fulgere tuemur
Vltoris fera lingua Poli eſt. Præteruolat Axis
Feruidus interea, furiasque redintegrat Aſtrum.
Ingemuit nimijs multum Regina ruinis
Auerſata rogos in Patria Regna flagrantes.
Ignis ita in ſedem euadunt, quam fulgor, & ardor,
Materia ceſſante, fugit, ni lumina Solis
Impediat, Lunæque faces, quæ proxima fulget,
Neu, noctiſve vices tollat, luciſve fugaces
Continuet radios, alternaſque occupet vmbras.
Sn famulas Dictinna rotas, curruſque ſupinos
Iubſternit gaudens, calcandaque cornua ſubdit
Inuiſum Odryſijs, Geticiſque ferocibus omen.
Iſta maris fluxus regit, æternoſque refluxus.
Hanc Dominã Hollandus, Flanderq; & Danus amico
Vertice miratur, medijsque Silandia Campis.
Tu quoque dilectas obſeruans ſydere Terras
Teutates, pompæ cumulas adeuntis honores.
Verùm Agamemnoniæ claro te vertice Turres,

Te

Te Memphis, Flandriq; iterum, ſimul Anglica ſpectant
Climmata, & ò tanto minor vna Lutetia Cœlo!
Inſuper & toto regnas Cillenie Nereo.
Caſta Venus nitidi demittit lumina vultus,
Auratum & fundit nimbum officioſa comarum.
Auſtriacis deuexa plagis, claræq; Viennæ,
Heluetięq; ſuper dominans, Arabo, atq; Polono.
Phębus inexhauſtæ fit prodigus undiq; lucis,
Seq; globos cogit rutilos fulgore fateri.
Is penitus toti diſpenſat gaudia Mundo.
Quod ſi Lucifero non intrat in omnia curru,
Cuncta tamen facili latè virtute penetrat.
Horrida feralis radiorum ſpicula Mauors
Mitigat, ac Regum calcari greſsibus ambit.
Hunc ſimul Inſubres, hunc barbara Gothia nouit,
Getulæq; plagæ, atq; Italæ pars maxima Gentis.
Qui ventos, & bella ciet, quem dira ſequuntur
Corda Virum, rapidiq; tonant cui nubibus ignes.
Tu quoq; maiorem dilatans Regna per Axem
Excipis egregias prona ceruice Quadrigas
Iuppiter, ò pluuium (ſic fama) elapſe per aurum.
Perpetuo ſolaris humum tu blande ſereno:
Tu magnum Babilona vides, & Perſica luſtras
Męnia, Pannonios, pariterq; inuiſis Iberos.
At gelida ſeruat, glaciemq;, geluq; fauilla,
Et ſpatijs, genioq; loci ſua pignora vincit
Leucadius, Styriamq; videt, Bauaroſq; Dahaſque,
Saxonas, & Dacos. Veneratur Zona niualis
Te falcate Senex. En aurea firmamenti

VIII

Lumina, in immenſos aciem defigo nitores,
Dum licet, hæc magni tenet ætheris alta ſupellex
Atria. Signiferi biſſena repagula cerno,
Quem ſecat Æquator pariter, pariterq; ſecatur
Dimidius, mediumq; Echlyptica linea primum
Diuidit in longum rectè producta, bis octo
Æque diſpertita gradus, cum ſurgit in annum
Flammiuomus primo Titan Oriente recentem.
Nec placuit notum, quà lactea ſemita Olympi
Semideis ſubſtrauit iter, iuuat ire per amplas
Signorum facies, cupidoq; accedere viſu.
Ergo Phryxęus locupletia cornua vector
Explicat, ingratas & dedignatus habenas
Subdit adoratis flammantia vellera bigis,
Atque expandit in Orbe comas, quas aurea latè
Regalis currus rota conterat. Exerit ardens
Septeno igne caput Taurus, Superiſq; iugatas
Offert Pleiadas, Merope ſed lumina celas
Mortali pudibunda Viro. Quin cede, ſuperbum
Replebit Clothilda locum, reliquiſq; feretur
Clarior & ſocijs, meliori nupta marito.
Si tamen Electræ lacrimas à funere Troiæ,
Atque oculos miſeranda tegis, da iuſtius aptam
Clothildæ ſedem Regni fera fata gementi.
Rurſus ad alternos, meliuſq; reducitur ortus
In Geminis fido lætus cum Caſtore Pollux,
Olim Sequanicis nequicquam adamabile ſydus
Regibus. Hos ſequitur Lernæę lucidus Hydræ
Defenſor, tropicaq; rotas procedere Phębi

Impedit

Impedit ardentes, meta. Caudam inde ſuperbam
Flectit ad obſequium, dum tergora verbere læto
Conterit, herculeæ quondam horridus Æmulus iræ.
Virgo pone ſubit Terras exoſa nocentes
Iamdudum, quam Libra tenet, noctemq; diemq;
Imperat ire pares. Liuentia terga veneno
Scorpius expoliat; Simul arma nocentia ponit
Ad ſęuas reditura manus, vbi fugerit Axis,
Arcitenens. Capricornus agit crudelia torpens
Frigora, ſed miti ſpargit modò ſydere brumam.
Hinc fundit parcas, ſed fundit, Aquarius vndas,
Et curſus, luſuſq; docet. Cœleſte per æquor
Subſultant Piſces, dulceſq; imitantur amores?
Tum duplices Arcto, tum lucidus Anguis, & hærens
Arctophylax plauſtris ſe ad regia plauſtra refundunt.
Ambitioſo Ariadna volat rutilantia curſu
Tempora, deuota circumredimire corona.
Nec procul Alcides, Hebroq; immiſſa dolenti
Threycij Alcidem ſequitur chelys aurea Vatis,
Lædæi vincit quam Leno canorus amoris.
Hinc vagus innumeris micat vndiq; circulus Aſtris,
Circulus incautæ pulcherrima pęna mamillæ.
Scilicet & iuſtæ Cęleſtia pręmia mentis,
Tu fortunata recipis cum Coniuge Cepheu.
Hinc Auriga ſacros loris venerantibus Orbes
Suſpicit, & longè veſtigia pronus adorat.
Tum pius Andromedes Perſeus ſeruata iugalis
Ora tenet, caput inde tuum teterrima Gorgon.
Dein ſuper impoſiti vector fidiſsime Vatis

Pegaſe Cęleſtes inter numeraris honores,
Te Delphin ſociat, ſociatq; volatile telum.
Inde miniſtra Iouis ſacrum caput æthera contra,
Explicat, Anguitenens parat huic fera bella; Trigonum
Stare loco medium tamen imperat. Altera Cęli
Nimboſum regio ſtellantis Oriona profert.
Enitet ingenti metuendum corpore Cęte.
Nilus Cœlicolum Campos pretioſus inundat
Diluuio radiorum amplo, dum prodigus ambit
Argento nitidæ veſtigia lambere lymphæ.
Auſtri grande latus, Procyonq; Lepuſq; coruſcat,
Igniuomoſq; graui compeſcens ore latratus
Icarij ſolita ira Canis, nempe ora venenum
Deſerit omne, furit rabies haud vlla per auras.
Tu pariter medijs vocalis Cymba periclis
Cholchiacæ, teſtis rutilas Pagaſæa rapinæ.
Mox Lariſſæi præclarus Achillis Alumnus
Emicat, hunc aptè ſubit Hoſtia, & Ara receptat
Dulce Polo munus. Craterem cernimus, Hydramq;,
Et Coruum irati monumenta nitentia Phœbi.
Sydereo Notius poſtremus in ordine Piſcis.
IX Excipit ingentes chriſtallinus Orbis Amantes,
Nec mora, & in primum tranſcendunt mobile Cœlum.
Hoc miſeris alimenta parat mortalibus, omnes
Secum ritè trahit ſphæras, longeq; remotum
Præ reliquis, ſupra reliquos humana gubernat:
Procedunt currus, & diſsilientibus vmbris
30,62 Ingrediuntur. Eunt immania flumina lucis;
Clothildamq; beant. Quis regificos comitatus,

Quis

Quis canat æthereis vndantia ſerica gemmis?
Non opis eſt noſtræ, licet Axe emiſſus ab alto
Aliger æternis daret ora tonantia linguis.
Talia deſpiciens præteruolat æthera currus,
Et ſummo Empyreæ conſiſtit in æquore ſedis.
Deniq; felices lætiſsima copia Campos
Poſsidet, atq; domos circumſpicit ore beatas.
At procul, ò longo quantum procul interuallo!
Spirituum ſeries nulli numerabilis ordo
Exurgunt, viſo per ſæcula ſtantia gaudent
Numine, & obtutus propior quicumq; tueri
Iamdudum meruit, maiori luce beatur.
Hæſitat, adq; noui ſpectacula dulcia mundi
Attonitas Clothilda acies in Coniuge figit.
Tum ſic orſa loqui, Pandas, precor, optimè Ductor,
Inſolitæ portenta plagæ, me deſerit ecce
Viſus hebes, dubio iam lumina lumine cerno.
Cur non æqua manent felicem gaudia Gentem?
Cur ſedet illa ſuper, vel cur minor illa priori?
Tunc is compreſſæ ſic ſoluit vincula mentis.
Quo magis accedunt æterno turba nitori,
Hoc magis illuſtres ditantur lumine mentes.
Præmia nam meritis veniunt æqualia, iuſto
Empta labore quies. Sedet vno in Numine Virtus,
Vnica laus, vnum ſe ſe partitur in omnes.
Namq; voluptates, tanto ſed Principe dignas,
Mutuo, inæquali licèt, incenſurus Amore,
Has ſibi quondam acies, quas conſpicis ipſa, creauit:
Non quoties regionis auet loca adire remotæ

Indiget auxilio, rapidiſq; rapacior Aſtris
Nullas ferre moras nouit, nec diſcere quicquam
Præmiſſo ſermone ſolet, nulloq; grauatur
Pondere membrorum Soboles nitidiſsima Cęli.
Tędia neſcit agens, rapidoſq; per alta volatus
Explicat, ala licèt deſit, penetranſq; receſsus
Immites Erebi nunquam iubar effugit ingens.
Non gemmæ, non palla tegunt, ſed inutile quicquid
Externum, tamen illa capit, mandata Tonantis
Exequitur quoties, homineſq; affatur, ibique
Aligerum populis ſpecies iuuenilis obumbrat.
Ecquis ad has flammas lumen mortale teneret
Scilicet immotum? non vlla proportio degit
Cœlum inter, fędumq; Solum. Vel ab Orbe creato
Quiſq; ſuum nouit numerum, licet ordo nouenus
Segreget vnanimes. Prior Angelus, ardua vitæ
Cui data cura tuæ, paridiq; in ſede ſequentes
Innumeri Comites, qui corpora ſingula rerum,
Quas creat ante Deus, Factore iubente, tuentur:
Aſt Archangelicos, quibus ire redire per auras
Iuſſum, cerne Choros, hi myſtica Numinis edunt
Carmina, & ignotos ad ſublunaria nutus
Pectora diſponunt, ex his ſtetit ante MARIAM
Legatus quondam, VERBOq; humana redemit.
Continuò exurgens Virtutum hos ſuſcipit ordo,
Quæ modico quandoq; homines ſplendore ſerenant.
Hæ tibi ſufficient per longa pericula vires
Cara laboranti, donec ſecura quieſcas.
Pone Poteſtates hoſtilia ſæpe Barathri

Arma repreſſuras, ne, dum furibunda nocendi
Ira mouet, noceant, raptoſue in Tartara trudant.
Principibus locus inde venit, quos ſedula Terræ
Cura petit, Regumq; manus, peregrina receptant
Corda, vagoſque Viros, & rurſus ad Aſtra reducunt.
Pugnaces modo cerne Acies, quas perfidus olim
Lucifer armatas exhorruit enſe furoris
Diuini. Meruere ſuo, meruere labore
Grande quidem nomen Dominatus. Subdita nulli,
Nulli victa Cohors trepidos odiſſe timores
Præmonet, ò miſeris ſolatia maxima Terris!
Mirare inde Thronos qua maieſtate locatos,
Et decreta Patris ſeruantes mente ſuperni,
Vimq; refundentes in ſceptra minora beatam.
Aſtra ſed aerium præterlucentia corpus
Non interruptis imitantur curſibus ævi.
Haud ſecus ac triquetrum fundit trans lucida vitrum
Ora coloratas vario curuamine formas,
Nonq; ſuo clarum ſuper induit æthera vultu.
Hoſce præit maius lumen, Cherubineus ordo,
Sole magis ſpecioſus, obit dum nobile munus,
Transfundit, ſuadetq; iubar ſublime tueri.
Longe prima tenent ardenti fronte Seraphin,
Obrepuntq; Deo, ſocijs pretioſa remittunt,
Euibrantq; ſinu concepta incendia turmis,
Hi norant artes, ſummi quibus ignis amoris
Excipitur, reliquoſq; animant Charitatis ad ignes.
Nec parit inuidiam, quòd ſe confeſſa minorem
Cętera ſuccedat ſeries, externa triumphis

Addit

Addit quiſque ſuis, alienaq; gaudia miſcet.
Sed reliquos penitus radiorum conſita Ponto
Præcedit Superos minor Vno NVMINE VIRGO.
En quales ſublata tenent mortalia ſedes.
Proh felix errore ſuo; felicia Gentis
Crimina, tanta quibus properauit ab Axe Piatrix,
Quæ luit æternæ tam fida miniſtra Salutis.
Hæc illa eſt, hæc dulcis humus prælata creatis
Omnibus, hæc populo ſedet vſq; parata fideli.
Huic Deus ingentis vel ad incunabula Coſmi
Præfixit puros queiſcumq; à ſordibus ortus.
Nulla dedit maculas terreſtris origo, Poloq;
Lapſa venit meritam venerabile pondus ad Annam.
Hei mihi Terrigenæ poterunt lacrymabile mentes
Concepiſſe nefas, tenebriſq; addicere Solem.
Exoriere aliquis magna de ſtirpe Nepotum,
Qui Summum poſces Cęleſtia munera Patrem,
Nullà & Chriſtiadas conceptam labe docebis.
Hoc meritis LVDOVICE tuis, hoc adde trophęis;
Adde illibatum Diuæ Dominantis honorem.
Sic ait, & rutilis euadit in ardua bigis.
Rex ibi Regnantum ſuper omnia viſa refulget
Maximus, æternus, ſibi nempe ſimillimus Vni;
Purg. 29. 82 Atq; immenſa ſacrum caput undique circuit Iris.
Sedes inde Senes tum quattuor, atq; vigenos
Ap. IV, 10 Exponunt, habitu ſtat circumamicta niuali
Turba, genuque cadens veneratur prona ſedentem.
Quin ſua (nam claro Diademata vertice geſtat)
Quin ſua ſupremo mittit Diademata Regi.

Hæc

Hæc Clothilda videt ſuperorum munere functa;
Quamlibet exuuijs circum obſita vilibus Orbis,
Sic Deus ipſe dare, & potuit ſic illa mereri.
Tum trepidante diu prolixa ſilentia rupit
Voce, Viroq; Poli miracula magna canenti
Labra, oculoſq; tulit, QVID tanti ad lumina Regis
Audemus Reges temeraria turba vocari?
Pœnitet immerito capite admiſiſſe Coronam,
Pœnitet, & ſummi decus affectaſſe Tonantis.
Olli Clodoueus; Non ſic ſubeunda ſuperni
Iuſſa Ducis, ſudore Polos, ipſumq; meremur.
Suſpicis in quantos ætas veneranda decores
Surgat? habe cauſas, quas noſcere Gallia nuper
Neſcijt, infandis ideo cumulata periclis.
Canos ſceptra decent niſi corpore, mente receptos,
Queis Nati caruere truces, Patriamq; malorum
Congerie obruerunt; nos in Proſcœnia Terræ
Ire iubet Numen, perſonaque fingitur illi
Gratior, accepto ſic ille fruatur aratro,
Suſceptoq; ſimul Diademate gaudeat alter;
Non tamen oblitus cur nobile pondus, & unde
Fluxerit. Albenti præcingunt pectora palla,
Quippe pudicitiæ ſeruant in pectore leges.
Aſt in conſpectu, viden, effulgere Theatri
Ingentem pelagum? Luſtralia flumina ſignat.
Hæc quoq; Remigius fatali voce canebat,
Lauit vbi dijs victricia colla fluentis.
Quæ Septena faces medio facit aurea lampas
Æquore, ſunt miſeris data munera gentibus alto

Numinis illapſu . Qui fulgor Iaſpidis exit
Ore, & Sardonychi (viden hos habet ore colores)
Lumina confirmat , Charitatis & ingerit ignes.
Dixerat , & diuum veneratus fronte Tribunal
Ante expectatum compreſſa voce quieuit .
Tum ſolio propiora vident Animalia celſo
Quattuor ; his oculi toto de corpore lucent
Innumeri , certo ſemper fulgore micantes.
Ardua magnanimi primum tenet ora Leonis,
Et vituli ſeruat , faciemq; artuſq; ſecundum .
Tertia frons hominem prefert , Aquilamq; volantem
Aſpectus poſtremus habet . Tum perſonat alis
Quodque nitens ſonis , ſacro & ferit aera plauſu .
Talia dum ſpectat , vaſta caligine lucis
Cernere viſa ſibi ſeptum Clothilda Tonantem .
Ergo ita voce pium compellat blanda ſodalem .
Quin age, nam dubiam dudum mihi maxima mentem
Prodigia exagitant , certe maiora notatis .
Cur veniunt triplices Vno de nomine formæ ,
Trinus & interdum , ſed mox mihi cernitur Vnus .
Quęnam ita diſcordes numeros Concordia iungit ,
Quæue repugnantes ? Sed dum loquor , unde fauillæ ,
Vnde mihi immenſum confundit lumina fulgur ?
Obruor , ah ſuccurre Comes . Celiq; ſupernum
Ore pauimentum trepido pepuliſſet , amicas
Ni daret ille manus , fidiſq; includeret vlnis .
Tunc ait , Immenſos tentaſti cara receſſus ,
Pęna ſecuta nefas , modiciq; ſub aggere fontis
Audentem vaſti comprendere flumina Ponti

Me-

Merſerat æquor aquis. Fruſtra moliris inertes
Ire ſuper vires, mentiq; extendere curſus.
Me licèt ęterna iam denique luce potitum
Dedecet, & nequeo cupiens expromere tantos
Humano ſermone adytus, mens ſola penetrat,
Si iubeat Numen, tanti fulgoris honores.
Siq; tibi interea ſemel inſpectare liceret
Quidquid Ego intueor, nunquam miſerabilis eſſes,
Inde ſed inciperent non interitura beatæ
Gaudia. Quo fragili datur ire per ardua linguæ,
Succedam facilis, deſideriumq; leuabo.
Indiſcretam etenim Triadem tenet Vnio felix,
Felicique Trias diſcreta eſt rurſus in Vno.
Centrum indiuiſum ternis æqualiter hærens
Linea terna tenet, ſphęręq; extrema Trigonum,
Neſcia confinis quacumq; attingit, & implet;
Sed tamen ad ſphæram iacet anguſtiſsimus Orbis.
Et Sphęra (ò nulli miracula nota!) Trigonum
Colligit immenſum, quin & requieſcit in illo.
Nomina Patris habet primus, generatq; ſecundum
Non Patrem ipſe Deus. Deus ordine nominis alter
Sit Natus, ſpiretq; licet (dubitare nefaſtum)
Eſt ſterilis. Fęcunda ſubit ſed munera ſemper
Tertius æquus ijs, Amor igneus, ignis Amoris,
Spiratuſq; beat. Peragit tamen omnia Solus,
Solus habet Comites, nec multiplicatur, & Vnus
Reſtat adhuc, Pluresq; facit non fabilis Vnus.
Filius exoritur de Patre, ab utrǒque redundat,
Et ſpiratur Amor. Non ſunt ſibi cauſa viciſsim

Cauſa tamen rerum, & primordia, cęptaq; nunquam
Verum eadem ſemper, nec temporis ordine clauſa.
Omnipotentis adeſt Genitoris forma, nitetque
Filius, alta facit meritum Sapientia nomen.
Fulgurat hic Bonitatis Amor. Quis vidit eodem
Aggere cincta ſimul, flumen, riuumq; lacumq;
Non confuſa tamen? Vel eadem condita concha,
Et diſtincta tamen? Solum miracula Numen
Tanta decet, cuius digito leue pondus adhæret
Orbis, ſed mortale putat fera pondera crimen.
Hoc te afflixit humi non enarrabile Verbum,
Vilibus exuuijs circumdedit, atque coactum
Naturas adhibere duas, humana ſupremo
Commiſcere Deo docuit. Non inde creatus,
Etſi factus homo es, Celiq;, Solique Creator.
Illa recenſebat, cum ceu ſpectacula rurſus
Suſpiceret, lętam ſenſit ſtupuiſſe iugalem.
Et petiturus erat, niſi munere Numinis alto
Inſolitum patuiſſe iubar nouiſſet ouanti.
Iridis in medio, mentes quæ luce beatas
Lætificat, vario cumulantur in Agmine Gentes,
Nec tamen inde locum varium ſibi vindicat agmen:
Tum pariter multa redimitos Daphnide crines,
Innumeroq; ſtupet Diademata creſcere crini.
Has inter reliquis, formaq;, & vertice præſtant
Multiplices, clariq; Duces, queis lilia pallas
Aurea condecorant. Tum ſic pia gaudia fatus
Firmat, Ab æterno iam Numinis edita nutu
Corpora mortales quondam ventura ſub auras,

Cosī Par. X 91 sq.

Con-

Conſpicis, & noſtros datur obſeruare Nepotes,
Summi nempè Dei quos cura benigna parauit.
Hos incompoſitum nutu quatiente priuſquam
Frangeret ille Chaos, Terriſq; imponeret Aſtra,
Imperturbata latitantes mente recepit.
Trans æui, Soliſq; vices, trans ſæcula, & omne
Rerum principium, noſtras trans denique mentes.
En igitur cunctos magno qui pectore Reges
Præcedunt, latèque patent, ea noſtra Propago.
En qui noſtra ſibi ſeiungent ſceptra, ſed æquo
Fędere, & infidos ſaltem pietate Parentes
Euincent, Charibertus is eſt, nexiſque lacertis
Chilperice ſubis, ambo iam luce potiti.
Vnanimes Fratres! meriti regnare quod omni
Edipodionios pelletis ab Orbe furores.
Te tamen ingenti qui Reges ordine ducis,
Grandis agit rabies, Dircęaq; crimina vincis,
Pectus quando vagum delicta Sabellica turpant.
Clotharius Patruo ſceptrum ſeruante ſecundum
Nomen, & Omen habet, ſed decedente recedit
Sors illo, miſerumq; facit. Dagobertus habenas
Inde capit Regni, Caliberto Aquitana tenente
Interea. Subit hunc pariter mea nomina geſtans
Clodoueus, Natiq; trucis Clotharius alter.
Mitior hic, ſed prorſus iners. Cum Coniuge lethum
Immerita Chilpericus crudele ſubibit.
Subdita id auſa manus. Monachi velamina ponit
En Theodoricus Sceptrifelicior hæres.
Aſt hunc Clodoueus, quem Childebertus, & iſtum

Sub-

Subſequitur Dagobertus , huic venit ordine Quintus
Mox Chilpericus , Thedoricumq; relinquit ,
Dum Patrijs animam iam reddere cogitur Aſtris .
Chilpericus adeſt alius , cui Galla Pipinus
Sceptra ferox cara cum libertate reuellet .
Sic humana volant , tenet inuariabilis Orbem
Ordo , quæq; prius fugitiuo abiere volatu ,
Iam primis refluo præcedunt vltima curſu .
Olim aurum rapido primordia duxerat æuo ,
Quod ſubit argentum , mox æs , & flebile ferrum
Edidit , at refugo ruit in meliora relapſu .
Merroueis is finis erit , Carolingia poſthac
Quos ſequitur ſeries , & fortis in arma Pipinus .
Nunquam animos Summus tantos Deus ore minori
Condidit , aut paruę molimina talia dextræ .
Hic ingens Bellator erit , Fideiq; per Orbem
Par mihi vulgabit Cęleſtia iura . Rauennæ
Sceptra dabit Patri , cui ſceptra vicaria Cęlum
Contulit . Elapſa at longè ſuper omnia Magnus
Accelerat , noſtroſq; præit generoſus honores
Carolus . Is vires , & grandia nomina mutat ,
Imperiumq; in Regna trahit , bis , terq; rebelles
Saxonas inuictus , Deſideriumq; domabit .
Hunc Saracena Lues vario iugulata ſub Axe
Pugnantem metuet . Summi ſed iuſſa Tonantis
Felicem penitus (quid humi tale ?) eſſe vetabunt :
Scilicet immanis longùm monumenta ruinæ
Gentibus expones feralia Roncisualle .
Tu fortes in bella Viros , quos edidit ætas .

Nulla

Nulla prius, ſcelerata premes, excelſa per oſsa
Grande nefas Populis oſtentatura futuris,
Sed dabis inſignes dabis illicò perfida pœnas
Gens, perq; innumeros proſtraberis obruta Campos.
Hic legit Imperio Ludouicum, & Nobile Nomen
Iam Populos proferre docet. Licèt iſte ſuperbis
Præſignis titulis regales undiq; faſtos
Impleat, hoc laudis celſa ornamenta meretur,
Quod Ludouicus erit. Quem Carolus excipit alter,
Et cui poſt Carolum ſacro de nomine laudem
Eripuere Duces ambo, Carolumq; ſubibunt
Nomine tres in Regna pares, quibus additur Eudus.
Quartus Io Ludouicus adeſt. Trans iſte marini
Cognomenta feret, quod trans mare prælia mittet.
Inde Ducem referes Lotharingia proxima primum.
Hinc noſtrum reddens meliori pectore Natum
Clotharius bello Lotharis data ſceptra reſumet,
Ottonemq; procul pellet. Conſumpte veneno
Infelix Ludouice cadis, Lethumque propinat
Vxoris male fida manus, nec parcere tantis
Nominibus veſana poteſt. Proh neſcia rerum
Summa vigere diu! Carolingia cedite iura,
Haud vltra regnare datur: ſpecioſior Orbem
Ex pectat Dominus, reuolutaq; penſa ſororum
Argentum reuehunt. Tuq; ò qui prime Capettis
Præcipis ingentis præludia maxima Famæ,
Hugo abrumpe moras, & candida tempora profer.
Tu Roberte licèt pietate verendus, & annis,
Infortunatum fundes ſub ſydera nomen.

Ah

Ah miſer, Henricum Regno dabis. Iſte Philippum
Qui diuina ſacris monumenta repoſcere turmis,
Adq; Paleſtinos conabitur ire triumphos.
Tu quoq; primæuos inter mea Regna furores,
Anglicaq; induces, Lodouice, cruenta fouebis
Crudelis populorum odia, at tua crimina magno
Intueor delenda Duci. Tibi Iunior ipſo
Nomine ſublimis, propior ſubit, ille Virorum
Pectora reſtituet Fidei titubantia, dium
Pronus adorabit deuota fronte ſepulchrum.
Tu quoq; Teutonicis ditatum inſignibus Orbem
Extolles. Redit alter Io, redit ecce Philippus
Ieſſęos populos ad dogmata ſacra rebelles
Pulſurus Regnis. Creſcent, hoc auſpice, creſcent
Męnia noſtra Polo, culmenq; æquabitur Aſtris.
Inferet armatis Saladino bella maniplis,
Communemq; premet varijs incurſibus hoſtem.
Octauus, Ludouice, venis, qui protinus Anglis
Santonas eripies, Albigenſeſq; ſubactos
Fortis ab inuaſo procul Auenione fugabis.
Nomine par illi, maior pietate ſequetur
Nonus, & ad Sedes rediturus, peſte, beatas,
Conficiente, dabit regalia germina Cœlo.
Robertum Claramonti, Regnoq; Philippum
Inſtituet Dominum, ex his Claramontia Proles,
Atq; oritur Borbona, feros domitura Tyrannos.
Fortunata Domus, cui contigit alta tenere
Sceptra, quibus nullum certe mirabimur æquum:
Te quoque vicino contingent ſanguine Magni,

Van-

Vandomiq; Duces, Monpenſieriq; , Nauarręq;
Et Soboles ſacro decorata agnomine Pauli,
Marciaq; , & Surion , præfulgida Sydera Soli
Semper fida ſuo , ſemperq; auctura nitorem
Ocyus effuſo per vulnera honora cruore .
Tertius ergo ſubit tanta de Gente Philippus
Cui dabit Audacis (miranda ſilentia Phebis!)
Nomina Trinacrius , mox cedere Regna coacto
Parthenopes Dominante , ſacraſq; Rebellio laudes
Dira profanabit . Formoſi laude Philippus
Alter adeſt tumidus , verùm hanc moderatur ouantem
Sors mala dementis populi , quem externa fouebit
Ambitio , tacitas Regno molita ruinas .
Huic Vtinus Ludouicus obit , quem Poſthuma proles
Subſequitur celeri poſt Patrem perdita fato .
Marcius ergo Comes Rex de Tutore Philippus
Dicitur . Aſt huius duplices poſt fata coronas
Carolus enumerat , quem Gallia , quemq; Nauarra
Suſpexit venerata Ducem . Sextuſq; Philippus
Dat faſces in ſceptra pares , belloq; cruentat
Regna Britanna graui . Primus dein ſceptra Ioannes
Suſcipit, Aſtrigeroſq; EquitesEmblemate ſignat (iugatas
REGIBVS ASTRA VIAM MONSTANT. Aduincla
Heu dabit ille manus . Captiui Regis honore
Anglia ſat felix , quem bello virceat ante
Vincit amore iterum , laudataq; vincula frangit.
Quintus iam Carolus . Sextus modo cernitur . Eheu .
Tempora proh quantis Regnum lacrymabile bellis.
Sæua prement ! Tum ſerua manus regalibus ibit

Vulneribus tumefacta, cadet qui ſanguine primus
Continget Regem, rabies Burgundia rurſus
Funera molitur, ſed mox feralia iuſtus
Funera Regnator paribus quoq; cędibus vltus.
Septimus Imperio Carolus, licet vndiq; diris
Ferueat obſeſſum furijs, extollitur, enſe
Suſtentat faſces in Sceptra Britanna ruentes.
Huic pius è tacitis Deus eruet arma Sepulchris;
Vltriceſque manus in debita bella vocabit.
Iamq; adeo, Coniux, fulgore verenda decoro
Virginis ora vide. Caroli pulcherrima læuum
Suſtinet ecce latus, nec iam niſi reddita Olympo
Inſignis pietas humana per ora feretur.
Et meruit tanto confundier agmine Regum
Fęmina, quæ dubium minitanti vertice Regnum
Reſtituet, tutumq; dabit. Succedis ad auras,
Et ſpernis Ludouice Patrem, conaberis huius
Bella præire ſedens, laudemq; referre per artes.
Tu Michaeli conſcribes pectora gratus
Cęlicolis, ſi non Patri, quæ lemmate cinges,
IMMENSI TREMOR OCEANI. Sic nominis omnes
Delebis maculas decus immortale repoſcens,
Sed lethi pauidus, ſeniorq;, maliſq; ſubactus
Belligero ſolium Carolo, Rex optime, linquis.
Biſſenum capit inde locum Ludouicus, & ingens
Bellum agit affuſis per Regna Hiſpanica turmis.
At nondum venit illa dies, quæ Galla tropheis
Signa grauet, Mundiq; meis permittat habenas.
Vis Angolemi Sortem, Primiq; ſerenam

Franciſci frontem, faſceſq; videre receptos:
Cerne Virum poſitis connubia læta catenis
Deſignantem hilari cultu. Venit ardua Regi
Gloria de vinclis, certe minus egerat, hoſtis
Ni tanti captiuus erat. Sed pone ſecundum
Henricum intueor, deiecto in pectora vultu,
Non expectatæ pallentem funere mortis.
Heu miſeranda dies, quæ ludicra bella ſerentem
Æquoris in medio proſternet cuſpide Regem!
At breuis Imperij decoratur ſorte ſecundus
Franciſcus, felix properati munere fati.
Scilicet egregiam forma, & virtute Mariam
Linquet vbi rabida laniandam cęde Bolenæ,
Humano non triſte ſcelus tamen ore videbit.
Vis etiam Carolum Genitrici Regna dicantem
Viſere? an Henricum, cuius temerata cruore
Perfida ſemiuiri Clementis dextra madebit?
Et quamquam ipſe graui conuerſus turbine mucro
Infando referet modicas de crimine pęnas.
Nil tamen aſſequitur citra ſolamina lethi
Præterquam rabidum ſibi præmiſiſſe latronem.
Ah miſer, hoc equidem ſæuo de funere ſaltem
Abſolui meruit, ſacras quod lege Phalanges
Etherea inſtituet, Regum celeberrima Regi
Agmina, Spirati quę nomine Numinis auget.
Nec minus infauſto concludes lumina fato,
Tertio, & ærumnis, & compar nomine Quartus.
Tu quoque funeſti narrabere victima ferri,
Proh dolor! & Rhedam greſſus breuis inter, & atrum

Transibit tumulum . Prænuntiat horrida quondam
Funera Rex moriens , suadetq; cauere , simulq;
Nominis , inquit , eris , sceptriq; , & funeris hæres.
En tibi Semideum insignem Clothilda Parentem ,
Cedo equidem , cessisse decus parit , iste Pipini
Progeniem æquabit , maiorq; per Astra feretur .
Iste dabit leges populis ingentibus æquas ,
Ardua supremi moderatus iura Senatus .
Tum regalis eo surget donante Potestas ,
Quæ fatis cedente Viro dominabitur Orbi .
Rex ingens factis , merituſq; vocabula Iusti ,
Qui nisi ab innumeris traheret præconia fastis ,
Magnus erit, Gallos MAGNA quod PROLE beabit .
Laudibus accedet longè super omnia vastis ,
Quod se maiorem mittet sub sydera NATVM .
Iamquè Ducem video spectandum in gurgite lucis ,
Iamquè magis video . Felicia sæcula tantum
Seruatura Caput , quibus aurea conditur ætas .
Longa nimis series , Martis si gesta recentis
Ordine præcipuò comprendere carminis optem ;
Multa tamen referam . Vos ò decedite toto
Æquore felices Animæ , faciemq; notantes
Regnatricem Orbis famulanti cedite gressu :
Talis & Eois tandem dimissus ab oris
Sol nitidum viduo iubar exerit aureus Orbi .
Dum licet Astra Patris flammas fugitiua lucrantur ;
Pallentiq; fugam passim testantur amictu .
Illum cerne Virum , de quo tibi sæpe canebat
Remigius , Famæq; animum , vel amore futuræ

Im-

Implebat gaudens. Quoties tibi maximus, inquit,
O Clothilda, tuis rediuiuus ab oſsibus Heros
Omnia maiorum in ſe geſta recolliget vno.
Naſcentem æthereis hunc Virgo Deipara cunis
Excipiet, munuſq; ſuum iucunda fouebit.
Dextera cuius ouans orientis luminis ædes,
Læuaq; tranſcendet ſuper æquora Ibera ruentis.
Ille metu victis miſcebit amore ſubactos,
Et licet in Dominum iamdudum armata potentem
Efferet Hydra caput numeroſo vertice ſurgens,
Procumbent vario capita exturbata ſub enſe,
Procumbent vario ſucciſa papauera Campo.
Si licet humanis Cęleſtia iungere factis,
Non ſecus audaces dum ſurrexere Gigantes
In Superos, Cęlo iam iam contermina moles
Prodidit alta Caput, varioſq; iubente dederunt
Ora Tonante modos, Concordia dira furoris
Debellata cadit, tùm deniq; faſſa potentem.
Non huic eliſis Tyrinthius anguibus audax
Præferat, & fortes ſileat vaga Græcia cunas.
Non huic Pelleus veſtigia turgida Ductor
Comparet, auſpicijs creſcet melioribus ætas.
Hoc gemini veniente trement bifida oſtia Rheni,
Vicinuſq; ſuum trepidabit Belga Gradiuum.
Mille dabit laurus, & mille trophæa ſubactum
Hannoniæ præſigne ſolum, tum Schaldica dites
Sequanæ adorabunt dominantis littora fluctus.
Edomita ceruice cadet, licet illa ſuperbum
Libertatis amet titulum, Burgundia, pęnas

Tum

Tum Childeberti Ludouico ſoluet adempti.
At miti compreſſa iugo lætabitur æquis
Imperijs, ſi ſat noui, volet ipſa domari.
Huius ad excuſſas metuendis nutibus haſtas;
Horrebunt faciles Hollandica Caſtra catenas.
Seruiles his inde manus, quibus ante pauentem
Gens inimica Deo latè tremefecerat Orbem,
Sub te olim LVDOVICE dabunt, tibi ſpargere nomen
Numinis expulsi per Regna rebellia reſtat.
Millia præteream hic, cuncto nam Principis actus
Enumerare diù. Queis clarior Arrabo turmis
Deferet ad liquidum matura iuuamina Patrem,
Odryſiaſque neces. Germano à ſanguine puros
Ecquis Danubium fluctus pepuliſſe iubebit.
Quid Lotharos, quorum vna dies peſſumdabit æſtus;
Quid Batauos referam, Siculiue trophęa Pelori?
Impoſitas pelago leges, iuſſumq; Profundum
Poſt interiectæ diuortia maxima Terræ
Ire per ignotas noſtra in commercia Campos.
Abrumpi Natura gemet ſacra fędera Mundi,
Et mutare Elementa fidem, at mutaſſe iuuabit.
Tantæ molis opus Romana potentia magnum
Miretur, Gallis longè ſe faſſa minorem
Imperijs, Famæque loco contenta ſecundo.
Te quoque Francarum ſæpe atra vorago Cohortum
Nomina magnanimo laudis dabis inclyta Regi
Schenkie, inacceſſam tu Deſertoribus Arcem
Pollicitus Fidei, vanis tandem excidis auſis,
Indomitamque iugo ceruicem perfide præbes:

Heus

Heus Aliſontropolis quanto te fulgure Mauors
Diruet, inuicti meritam te Principis iras?
Quamque ſatis fuerat gemini poſt tempora luſtri
Obſidione capi, vnius Victoria menſis
Abſoluet, magnique trahet momenta Ducatus.
Iſte triumphales trans diſsita cęrula Claſſes
Aurorę dominatur vbi Trabeata Charybdis,
Mittet, & Odryſiæ turbabit cornua Lunæ.
His adde inſolito Pelagi terrore Tyrannos
Perdomitos, iuſſoſque pati mandata, nec vltra
Fidere barbaricis immenſa mole Carinis.
Adde quod ingenium veneratus ſponte benignum;
Indigeptique atam faciem, Superumq; fauorem,
Regnantem paribus ſibi votis Mundus amabit.
At procul en ſocijs ſurgentem ad Sydera ſpecto
Reginam auſpicijs, meruitque accedere tantis
Regibus, vt pridem ſexum indignata minorem,
Et longè tranſgreſſa Viros. De laude MARIÆ
Quid ſileam, memoremue prius? percurrere cunctas
Ardor agit, reticere monet breuis hora recurſus.
Formam, ſumma licèt niteat, licèt æmula Cęlo,
Magnanimæ robur mentis, mirandaque vincit
Gloria, qua fragilem ſupra micat ardua Gentem.
Hanc ſibi Francigenæ quaſi pignora certa quietis
Suſpicient; venit ecce graues penſare ruinas,
Et noua Sequanico Clothilda agnoſcitur Orbi.
Qua Populos virtute reget, dum proteret hoſtes
Magnus, & excitas varijs regionibus iras
Compeſcet? Proh fæcla graui fędata pudore!

Chri-

Chriſtiades inter ſacris conatibus hoſtes
Inueniet ! Sed & hinc Regi noua ſemina laudum.
Aduerſis Virtus extollitur, aura Fauoni
Non probat expertum ventoſa pericula Nautam:
Veh nimium miſeris, auſiſque laceſſere ferro
Gradiuum incauto ! Bellis in Regna vocatis,
Haud pęna funeſta leui delicta luetis.
Hactenus Europe miſerando Sydera luctu
Perculit Odryſij ferro violata Tyranni.
Tempore nec licuit modicum ſolaminis vllo
Quærere, peiori reliquæ ſub pondere Partes
Æquarunt dominos ferali carmine queſtus.
At poſtquam toti viruit ſpes publica Mundo,
Quis furor, ò miſeri, ſubducere gaudia veſtris
Gentibus, inque vna communem odiſſe ſalutem?
At Matris propius circum vndique fuſa tuetur
Fęlix Turba latus, quam fulgida Pignora adorant
Ambitione pia, fęcundaque viſcera laudant.
Qui præit, inceſſu Maieſtatemque fatetur
IS DELPHINVS erit. Quantum iubar innatat ori!
O Decus Imperij, Francorum ſumma voluptas,
Spes, magnique Patris iam nunc noua gloria ſalue;
Salue, & in immenſos eat ætas nobilis annos.
Quandoquidem immatura piæ dat funera Matri
Atropos, atque manus in ſtamen obarmat acerbas:
Nec iam impune diu ſucciſo perfida filo
Acquiret plures renuente Sorore labores.
Vindelici Germen ſceptri, pulcherrima rerum
Quæ nitet, atque oculo longè præit Aſtra micanti,

Spi-

Spiranſque æthereos humana fronte decores;
Regales thalamos generoſa Prole beabit.
Spem tantæ, ſeriemque Domus Burgundia primùm
Excipies, tanto Burgundia nomine ſurges.
Sed tu, cui geminæ iam nunc Vatumque, Ducumque
Iucundo laurus certamine creſcere gaudent,
Cui parat Imperium domiti Pater inclytus Orbis,
Accelera, & Patrios conſurge Imitator ad auſus.
Nam tibi Virtutem, & verum à Genitore laborem
Sydera, Fortunamque ſimul tribuere fauentem
Diſcere. Dardanium tam fas tibi vincere Iulum,
Quàm Pater Æneam longo diſcrimine vincit.
Adiunget ſocium ſed ad ampla trophæa Philippum,
Fraternoſque alia decorabit Daphnide crines,
Quam conſanguineo Princeps ſudore parabit.
Maiorem haud illo poſt prætereuntia lapſu
Sæcula grandæuo totus feret Orbis Amore.
Omnia namq; Vni liceat depoſcere Fratri,
Et regnare putet LVDOVICO Rege Philippus.
Te verò Auſonij fulgor venerabilis oſtri
Virtutum Bulione nitor, quo ſoſpite nunquam
Sæcula præmiſſo de Mæcenate querentur,
Mille canent Vates, tantique ad tempora Regis
Sublime ornamentum aderis. Tua Purpura Gallis
Faſcibus obſequium vel toto ex Orbe parabit.
Viribus accedet tantis celeberrima Regis
Gloria Condęus, quo Principe Gallia pugnas
Mille, trophęa ſubit totidem, totidemque triumphos.
Egregium bello pectus, mens ardua, magnis

Cognita conſilijs, fideique inſigne Theatrum.
Quid de te Contìe canam, qui prælia ſolus
Multiplici cum gente ſeres, memorabile Mundo
Editus exemplum vel tot trepidare ſub enſe
Poſſe vno turmas, atque omnia cedere For i,
Cum rapies medijs vexilla inimica maniplis,
Armataſque acies vario certamine fundes?
Faxo, fulmen eris Franci immortale Tonantis.
Inde Ducum Turrena decus, quo Præſide ſemper
Sequanicis aderit Conſors Victoria Caſtris.
Proh Virtutis opus! cui grandia præmia Regis
Conferet os ſacrum ſupremis laudibus augens.
At vaſta ex ipſis veniet tibi Fama ruinis
Nunquam victe Senex, mediaq; in morte triumphans.
Maximus vſque quidem, ſed cum moriere verendus
Hoſtibus in primis. Hac demùm Sorte beatus,
Quod te Rex moriente gemet, te mæſtus adempto
Millibus è tantis, damnum, clademque vocabit.
Linquo Duces bellis acres, quoſque inſerit Aſtris
Paciferę laus alma togę, ſed nomine ſemper
Felices Regis, quem fata, Deuſque tuetur.
O fortunatæ dextro tum Numine ſedes!
Quæ capita edetis, de queis ſatis Orbis haberet
Vnum frænandus. Sed gloria dulcior illis
Regia iuſſa ſequi. Reparat ſuprema labantis
Damna Soli, & totum compenſat Gallia Mundum:
Inferet inde Getis victricia ſigna remotis,
Nulla triumphatæ Tellus immunis abibit
Auroræ ſpolijs, lætabitur Orbis, & Æther.

Cer-

Cernemus reducem ſignis Orientis, ademptas
Nuper Idumæo palmas de colle ferentem.
Nos quoque tum gremio recubantes Numinis almo
In partem decoris veniemus. Gaudia tempus
Tum meliora dabit, cum deuenerabimur Aris
Noſtros Syderibus læti acceſsiſſe Nepotes.
Iamque ſuam rurſus lucem tuus excipit aer
Pallentem Sobolis furijs; Te cedere ad imas
Cara, decet curas, Terramque ſubire iacentem.
Sic ait, & ſiluit, Cęleſtiaque oſcula libans
Extemplò nitidos Animam dimiſit in artus.

CLODIADOS
LIBER DECIMVS.

ARGVMENTVM.

INstruit ſuas Phalanges Clotharius, Iter init, nec procul Pariſijs ſignaſigit. Diſponit & ſuas Dagobertus, quos vbi à pugnam paratos cernit Clotharius, Nepotes ideo ſecum raptos, fruſtra obſtante Clodomiro, iugulat. Horum ſanguine Magicum ſacrum Chramnem iubet peragere, & de futuris Auernum conſulit. Pugnant acies; Cladem ſuſcipit Dagobertus, ſed ſuperueniens Clodius victoriam comparat, & Clodomirum ſauciat, pro quo dum Clothilda orat, agnoſcit Clodium: Is in obſequij fidem enſem ad Auiæ pedes proijcit, & Clodomirus Genitricem repellens refertur in Caſtra.

POſtquam Sueſſioni crudelis ab Arce refulſit
Tartarea Bellona manu, portiſque recluſis
Agmina per patulos Equitem deducere Campos
Impoſuit: diro fremuerunt claſsica cantu,
Tympanaque inuiſæ fregere ſilentia Pacis.
Ipſa per Odryſios ſedem ſibi quærere fines
Interea celerat, niueiſque inuecta Quadrigis
Lumina ab intuitu manibus trepidantibus arcet;
Ingenteſque iacit queſtus miſeranda Tonanti.
Continuò foribus latè diffunditur altis
Nondum compoſitis acies inſtructa maniplis.
Vix tamen immenſo ſpatium vacua arua dederunt;
Cum ſtructum fuit omne nefas. Commiſſa ſiniſtri

Clodomire tibi : Dextri data cura Gradiui,
Qua Pedites feruent, Chramni. Regis improbe primum,
Et numeras Alarice latus; Latus inde ſecundum
Ordinibus cautus clamat coalere Pipinus.
At medium robur, tantique potentia belli
Clotharium ſpectat; Domini præſentia fortes,
Audaceſque facit, dictiſque ferocibus omen
Præcipiunt pugnæ. Sceleratam hinc collige mentem
Clotharij, populis poſtquam dedit arma nefandis
Impia, regales probris inceſſere mores,
Et nomen Genitricis amat, nomenquè Nepotum.
Abſoluunt famulas Natorum barbara mentes
Pectora, perque ream damnantur viſcera Prolem.
Diſcurrit celeri populata noualia raptu,
Præceditque ingens leuibus legionibus agmen
Clotharius, flammamque ferens, ferrumque gementes
Excurſu deuaſtat agros, ſed nulla furores
Placat nex, animum ſed nulla ruina ſuperbum.
Vna truci pretium præfixa Luteria menti,
Vna quies ſceleri, ſpem ſuſtinet vna nocentem.
Scilicet inſignes Furias, Martemque nefaſtum
Haud niſi cum domita ſibi Matre licere fatetur.
Hac igitur iubet ire Duces, iubet ire Cohortes,
Qua breuius ſe pandit iter, nullam obſidet Arcem,
Atque interpoſitas contemnens præterit Vrbes.
Iamque Pariſiacos pulſabat milite fines
Innumero, & muros iam præuia Fama ſubibat
Veris falſa canens immixta, & maxima paruis.
Exponis Dagoberte ideo per aperta frementem

) Tasso I 81

Clo-

Clothilda lacrymante aciem, cingique recuſas
Obſidione, ſacraſque hoſtem contingere portas:
Hei mihi qui gemitus populis venientibus inſtant,
Quas clades Gradiue paras? immenſa recedit
Progenies, hauſtuſque armis coeuntibus Orbis.
Puluere iamque patet duplex exercitus alto
Signatus, monſtratque diem, quem męſta renarret
Poſteritas; longoque gemat Gens Gallica luctu.
Vidit vbi emiſſas Genitricis ab Vrbe Phalangas
Rex laudaſſe diem, neglectas credidit iras,
Et vos conſultò regalia pignora ductos,
Infantes miſeri, proprio ſacrare furori
Deſtinat, inflammat tacitis fera corda Ceraſtis
Ipſe Sygiſmundus, Chramniſque ab imagine fraudes
Mutuat. Hęc igitur placanda efflagitat, inquit,
Dona Parens, neſcitne meis pendere ſub armis
Quicquid adhuc miſerę ſeruat iucundius Orbis?
At quoniam gladios ſpectat manus, atque cruore
Alterno ſaturandus ager, procumbite letho
Improba progenies, alienæ victima culpæ.
Sit crimen iactare Auiam, quin immò Parentem
Clothildam. Cauſas ſi mortis quæritis vltra,
Clothario cauſas ſcelus eſt peperiſſe timoris.
Parcere vulgaris lex imperat, imperat inde
Cędere regalis, tollantur de grege Reges,
Sitque aliquid voluiſſe Duci. Sic perfurit amens,
Arreptumque manu Tebaldum, & multa precantem
Per Superos, Matremque piam tranſuerberat ictu,
Ceruicique rapit iugulum. Minor accipit ætas

Hor-

Horrendum hoc munus, ſed tali à Rege petendum,
Quod prior occumbat. Repetiuit lingua verendum
Ter quater abſcedens nomen, ſalienſque per æquor
Clothilda pereunte, perit. Tunc ille ſecundum
Carnificis peragebat opus, cum turbida Coniux
Irrumpit lymphata gradu. Ceſſere manipli,
Atque dedere viam, ſceleriſque perhorruit Author.
Non hæc Marmaricis ſunt viſcera parta Leænis,
Crudelis, tuus ille Nepos, tuus ille, tuæque
Pignora rara domus iugulas; Taline nouorum
Ingenio ſcelerum Regni graue pondus aditur?
Hei mihi per noctem, (nec me mala larua fefellit)
Hoc potui ſpectare nefas, vidi ipſa cruentam,
Et tenui, ſed vana manum, Pueroſque necabas.
At procul emiſſus montano è vertice Paſtor
Horum aderat vindex, & te rapto enſe petebat.
Tu cadis, ipſa mihi tranſuerbero viſcera dextra.
Et faciam, ſi tot nobis mala deſtinet Æther.
Cęperat in Patruum paulùm ille redire, trucemque
Condemnare manum, ſed cum Paſtoris ad aures
Peruenit ſonitus, minitataque ſomnia clades,
Horruit, vt coluber, quem preſsit forte Viator
Incautus, fruſtraque fuga delicta fatetur.
Quin immò vlturo, tum reddidit impius, immò
Pro Paſtore cadat. Gladium èrgo reduxerat altum
Inſurgens, tum Frater adeſt, &, Parce, profatur,
Parce tuum Germane, precor, libare cruorem,
Et ſimul elatum tenuit, preſsitque lacertum:
Perfurit ille magis, Mihine improbe, clamat, iniquam

Inijcis ipſe manum, tandemque à fratre recedis?
Annè miſer metuis muliebria iurgia Matris?
Vel meritis veniam ſperare recentibus audes?
Te te Ego. Dunque furit Fratris quoque membra retentat
Ictibus incertis, fugit ille, fugaque meretur,
Namq; à Fratre fugit, Victoris amabile nomen.
Tum ruit, aggeribus ceu fluminis vnda ſubactis,
Te Gottarde petens. At non tua fata pauore
Degeneri violas; Virtus ætate relicta
Eminet, & vultum conſtans in morte tuetur.
Captiuuſque licet, lethoque propinquus acerbo,
Non ideo Regem oblitus ſtat fronte ſerena
Arduus, atque meret fortis præſentia vitam.
Quin ait, Ocurro iuſtis, bone Patrue, fatis,
Quod ſcierim ſpectare mei fera funera Fratris,
Et mortis ceſsiſſe locum. Crudelior eſſes,
Erepto Comiti ſi me ſupereſſe iuberes.
Quin age, Carnificis perſoluas nobile munus,
Quò pœnas mereare magis, quas Clodius vltor
Exiget. Hæc fatus non inſcia colla furenti
Obijcit, & iugulo ſpontaneus accipit enſem.
Ite ſacri Manes, indiuiſique beatis
Clarum funeribus, Superis æquate ſepulchrum.
At poſtquam rabidus furialia ſacra peregit,
Materno penitus iuuat inſultare dolori,
Et nudum miſerę gladium cum forfice mittit,
Hæc famulo referenda iubens, TVA Pignora amatis
Eligere alterutrum Regina Nepotibus optant.
Infælix Clothilda faces auertere belli

Dum

Dum cupis inſanas, & nomina mille retentas;
Inuoluis regale genus, dilectaque multum
Corpora crudeli paſcunt incendia lapſu.
Sic Pelicanus amans, caudaque, aliſque laceſsit,
Quod venans nidi iacit in penetrale repoſti,
Exitiale iubar, cupiduſque repellere flammas
Verbere pennarum, cumulat, quos impetit, ignes;
Seque, ſuoſque rogis incumbere cogit iiſdem.
Nec ſatis hæc: potuit lacrymis illudere Matris
Crudelis Soboles, ſcelerumque repoſcere plauſum.
Colligit hæc belli præludia, tale propinquæ
Veſtibulum pugnæ, dirique crepuſcula Martis.
Ante tamen magici Chramnem iubet ordine Sacri
Perluſtrare Hecaten, duroque Acheronta ciere
Carmine, quàm rabidis permittat iniqua Cateruis
Prælia. Nigrantes iam circumduxerat vmbras
Nox effuſa Polo, cum cantu augere tenebras
Incipit ille graues, Erebumque inducere Mundo.
At priùs innumeris peraratum tractibus edit
Pentacolum, cui formidanda potentia dudum
Conceſſa eſt, ſonti ſignum indubitabile nocti.
Hæc quoque cum populis daret arma ferocibus olim,
Venturæ Salamon præfixerat omina pugnæ.
Infandos dehinc latices, ipſique tremendam
Diti proluuiem, Puerorum ſcilicet Aris
Admiſcet calidum gemina de cęde cruorem.
Serpentum hinc turpes properant in fercula fętus
Telluris, quoſcumque parit tot rupibus horrens
Medeæ luſtratus Eryx, quos edidit Othrys,

Quoſque Promethæis rupes violata catenis
Ad ſcelus euomuit. Pharetra metuendus, & Arcu
Queis Medus, Parthuſque leuis, queis ſpicula dites
Dira linunt Arabes, Maurique, Scythæque vagantes.
Ignotas Pindus ſegetes, immania celſi
Culmina Pangæi fatalia germina ducunt,
Mortiferamque comam, & virgulta liquentia viru.
Radices glomerantur, alit quas Tigris, & Iſter,
Quaſque per arentes oras Nabathæus Hydaſpes,
Quas Tarteſiacum languenti flumine Pontum
Impellens, nutrit Bętis, fonteſque miniſtrat.
Infames onerant lances Phlegetontis ab atris
Lecta Aconita vadis, Acherontęoque cicuta
Exaturata lacu, funeſta Abſynthia, quæ Styx
Littoribus fouet, & graueolentia Centaurea
Igniferis ſpumis, atque irrorata ſaliua
Tartarei Vigilis, Furiarumque artibus aucta:
Pix feruet liquefacta Stygis, chalybeſque rubentes,
Exuſtæ calces, inſincerique cruores,
Et tabum, & ſanies marcenti è vulnere fuſa:
Exin terribili permiſcuit omnia virga,
Qua Phębes turbare faces, Fratrique tenebras
Dicere, & attonitum ſuevit frenare Barathrum:
Pallida ter motis reſpexit ad Aſtra lacertis,
Ter ſacrum perfudit aquis, totieſque ſoluta
Nexuit, horrendæ redimicula ſæua Tiaræ
Exoluens rurſus, Furijſque in vota vocatis
Orditur ferale nefas. QVI ſæua nigrantis
Torques Regna Poli, poſtquam Cęleſtibus oris

Exul

Exul abes, pateriſque tui tormenta furoris.
Si quid ſæue potes, tàm viribus adde nefandis,
Quàm ſimul obſtupeant, timeantque à luce Sodales
Compulſi quondam, quantum Eumenideſque paueſcant,
Horreſcantque vmbræ ſontes. Niſi iuſſa ſubibis,
Tot pœnę crudele petant caput, horrida torquet
Bruma quot horriſonos imbres, quot decutit alta
Arbore grando comas, rigidas quot vortice cautes
Circumquaque premunt fluctus, & littore feruent
Quotquot in Euboico. Pœnas patiaris eaſdem,
Quas meruit tentaſſe Deum, timor inde nouorum
Supplicia exſuperet. Tu denique cede iubenti,
Nam peiora canam. Scimus quid conſcia turbet
Tartara, quid populos trahat in ſua vota nocentes.
Aufugite vmbrarum loca deſidioſa ſilentum,
Et pice ſtagnantes, altaque voragine ripas
Linquite Vultur edax, infelicemque reuoluens
Ore Stygem Bubo, Parrhęque, Vlulæque gementes.
Audiat interea tremefacta horrore querelas,
Quas parit ira furens nitidæ domus vtraque lucis.
Qua Garamanthæi luſtrat vada ditia Fontis
Quaque quieturum iubar æquore mergit Ibero.
Nocturni ſtellarum ignes, ardentia Cęli
Ornamenta, graues aduertite lumine diras,
Et cantus audite. Audi furialia Phębe
Vota, & ſquallentes refer in mea dicta fauillas.
Audiat æquoreæ Moderator maximus vndæ,
Biſque bipartitum veſtro qui numine Mundum
Aerij regitis Reges, quique Aſtra mouetis,

Quique vacillantem libratis pondere Terram:
Si ſat dira precor, ſi ſat polluta voluntas
Tartareas monuit fatum depoſcere mentem.
Audior. Arrident en Tartara rite iubenti,
Accediſque meo Dis illætabilis ori.
Iam te, iam cinctum radiantibus illicet armis
Intueor. Tu ſerua animam ad portenta labantem
Clothari, & crimen ne demereare pauore.
Talia dum loquitur, proceſſerat enſe reducto
Dux Erebi, ſecumque imas in dira trahebat
Tentamenta Manus; facie, qualem eſſe decebat
Inferni Rectoris, habet poſt terga, Cateruas
Armorum fulgore truces, quaſi bella ſuperbus
Exigat; horrendis tum ſic Tentoria dictis
Impia percuſsit, Quid nos à ſedibus imis
Extrahis, atque nouis gaudes contundere pœnis?
Parce precor, parere iuuat. Tu tolle dolores
Immeritos, priſcaſque ſatis ſit ferre ruinas.
Annuit ille libens, & quis certamina tandem
Tanta modus poſcat fatorum lege profari
Imperat, hinc tales audit cum Principe voces.
Heu magnum ſudoris opus! proh quanta cruoris
Flumina per Gallos ibunt populantia Campos!
En apice è ſummo domitas Clothilda Phalangas
Proſpicit, atque gemit. Caro Rex maxime ſceptrum
Sanguine ſeruabis, duris exercite fatis,
Quæ Natis fauere tuis, & Regna dederunt.
Cœtera ſcire Pater, qui nos radiantibus olim
Sedibus æternum iuſsit caruiſſe, recuſat.

Sic

Sic ait, & veniam, qua Regna dolentia viſat,
Expectauit atrox. Dictis eluſus ouabat
Ambiguis Chramnes, meritaſque ſubire iubebat
Mœnia Auerna acies. Sceleris fiducia tanta eſt.
Sic in Caſtra redit Ductor, metamque pudendum
Lætatur tetigiſſe nefas, promptæque ruinæ
Plaudit ouans animis. Vario ſuper agmina curſu
Incenſus graditur, multoſque vbi tempora nouit
Laudata Virtute monet, commendat honorem
Pleriſque armorum, quem prælia prima tuentur.
Increpitat viles, & præmia fortibus auget.
Poſcere parua pudet veſanum crimina, iuſſum
Nil niſi grande nefas, ſæcliſque inſigne futuris.
Denique vicinæ, nam tempora criminis inſtant,
Inſiluit ſpeculæ, dein lumina circumduxit,
Præcepitque oculis ſcelerum mala gaudia fatus.
O decus Imperij, noſtrique potentia ſceptri
Miles, adeſt quæſita dies, votiſque petitum
Tempus, ab immerito quo proturbare Nepotes
Fata parant ſolio, & iuſtis me reddere Regnis.
Si quis forte ſuo pugnans occurrat Amico,
Si Conſanguineo, grandes à Regibus iras
Diſcat & in Matrem toties ſæuire paratus,
Id Regni quoties poſcat decor, alma Piorum
Iura receſſerunt noſtris à ſedibus olim,
Cum male præpoſuit Natis Regina Nepotes.
At me nulla mouet (ſic Cœlum incœpta ſecundet)
Sceptrorum ambitio, ſed vos vt dedita ſitis
Turba Viro, vt Franco tollatis ab Orbe pudorem,

Sup-

Supplex Clodoueus gemino cum Pignore clamat;
Non hæc Pyramidum ſedes, ſexuſque minoris
Egyptus violata manu . Seruate virile
Imperium, & Salicæ iuſsis accedite Terræ.
Sed tu, quæ ſceptris me orbare Lutetia auitis
Fęmineas dignata manus potes, accipe munus
Par meritis, turpes tota de ſede reuellam
Relliquias, tantumque ſinam poſt bella referri,
Hic Vrbs magna fuit, culmenque æquabitur aruis.
At vos victrices vbi de certamine dextræ
(Iam video) referent, ſpoliandos ſumite toto
Milite Pariſios, & nulli parcite cladi.
Dixerat, & frendens iter inſtaurabat ad Vrbem.
Reſtitit inſtanti percuſſus pectora luctu,
Et cohibere ſonum Dagobertus claſsica iuſsit.
Nunquam adeo generoſa prius concuſſerat horror
Corda Ducis, non cum forti dare iura Sicambro
Iuſſus, Germanas compeſceret arduus iras,
Et coniuratos in Gallica damna Tyrannos.
Non cum magnanimus ferro domitore furentem
Burgundum premeret, belloque agitaret Iberos.
Vel quia adeſſe ſuo fateatur ſe hoſte minorem,
Vel quia Clodouei doleat concurrere Proli.
Senſit & ipſe nouos (puduit ſenſiſſe) Pauores,
Et timuiſſe tamen funeſtum credidit omen.
Non ideo ancipitem generoſa fronte reuelat
Incautus mentem, ſed diſſentire dolenti
Ora iubet cordi. Surgens tum denique celſo
Talibus affatur ſublimis ab aggere Gentes.

Iuſtitiam noſtris, cauſam ſi quærimus armis;
Vicimus ò Socij, Matris pugnamus in hoſtes.
Clodouei ſolitas veterano ſanguine partes
Proſequimur, laudis nobis aperitur auitæ
Argumentum ingens, alijs vixiſſe fideles
Gentibus extat honos, tamen & viuentibus omnes
Seruauere fidem Dominis, ſeruamus adempto
Sed nos Clodoueo; præſens ita gloria geſtis
Differt à ſolitis, vt Amorem die profanum
Vincis Amor, NEC amat pretium qui ponit Amori.
Vana nec à ſumptis Pietas deterreat armis,
Clodouei in Sobolem quod tela infeſta feratis.
Dedecus eſt Fortuna Patrum, premiturque Priorum
Poſteritas magnis aliena, ac degener actis.
Scilicet vltores violati Numinis ipſum
Conſtituit Numen, bellumque inferre Parenti
Haud parui conſtare Polus iubet hoſtibus. Iſto
Cęlicolę certe venere in prælia Campo,
Cęlicolas ſi iuſta mouent; Concurrite fidi,
Et notas ſancite manus. Vos Regia Mater,
Vos Childebertus triplici cum Prole precatur.
Inuocat ille ſuos, rediuiuaque buſta ſepulchro
Exerit. Vnde grauis tantum perſoluere pęnę
Debuit, in Natis vt terque quaterque periret?
En Ego, ſi tantis meruerunt noſtra referri
Nomina præmiſsis, diſtincta per agmina fuſus
(Maieſtas afflicta ſinit) pro mænibus oro,
Pro laribus Patrijs, & pignora cara recordor.
Namque (ita Fama canit) ſi iudice detur Olympo

Vin-

Vincere, ſublimes prædabitur impius Arces
Natus, & exuuias turbis permittet iniquis.
Quod ſi fata parant (auertite Numina dictis
Pondus) in extremos rapitur ſi Gallia Caſus,
Me primum rabida ira premat, primumque Penates
Obruat illa meos, vel ſi iam denique votis
Eſt locus, hoc ſaltem placetur funere Cœlum,
Suſcipiantque Caput tantis pro Gentibus Aræ.
Vocibus his gemuere Duces, gemuere Cateruæ,
Pilaque ſumpta manu penitus ſtrinxere paratæ,
Si iuſtus ferat iſta timor, procumbere letho,
Et iam laude decus ſibi confirmare ſuprema.
Corripitur protritus ager, ſpatijſque dirempti
Exiguis (tanta eſt rabies) ceſſare queruntur.
Signa tubæ dederant, & puluere diſitus aer
A gemino nubem conceſſerat omnis in vnam:
Iamque Pedes Pediti volat obuius, enſibus enſis,
Congrediturque manu manus, ac in vulnere vincit
Accepto, moriturque ſimul. Quis atrocia narret
Funera? non ſolito bellum furit ordine belli,
Proſtratæque cadunt vno pro milite Gentes.
Vix Vrbes referam, & populos mucrone ſubactos:
Singula fata nefas perquirere, plurima ſtrage
Regna vbi miſcentur, congeſtaque ſceptra vacillant:
Primus in aduerſam telum iaculabile turmam
Impulit, & ſceleri Chramnes exempla parauit.
Proh facti monumenta trucis! cum tela puderet
Spargere Clotharium, in Natumque rediſſe doleret,
Cum tacita forſam damnaret prælia mente,

Ser-

Seruilis dedit arma manus; Cur crimina Prolis
Crimine dira nouo nequicquam abſoluere iuuit,
Partirique nefas? ſaltem hunc auferte Pudorem
O Superi, à famulo ne damna infanda lacerto
Proueniant, liceat Gallas decorare ruinas
Nobiliore manu, grandique ignoſcere cauſæ.
Continuò immenſa telorum obtexitur aer,
Et latitat ſub nube Polus, numeroſa per auras
Mors volat, innumerique obitus, ita glande refuſa
Deſcendit labefacta dies, ſic imbribus atris
Tempeſtas immixta ruit, ducitque tenebras.
At Salicus primum ſuſcepit vulneris ictum
Gutture, iuſque dedit Fatis, primordia Chramnes
Proſequitur belli felicia, perforat Eudi
Sacrilego mucrone femur, rabiemque nefandam,
Ieiunamque diu profuſo in ſanguine paſcit.
Huic ſimul Herſilius non hac à cuſpide ſperans
Fata, fauet, fixuſque ruit, rutilo enſe minantem
Dum Samium vitare cupit, ſe iungit amico
Immoriens Actor, ſolatia dulcia lethi,
Et fido manuum nectit pia vincula collo.
Ipſe iuuat Chramnem lethæo ſpicula mergens
Rore Sygiſmundus, repetitos dirigit ictus,
Et ſe ſe aduerſis ſpectandum ſæpius armis,
Terribilemque Viris monſtrat, ſocioque miniſtrat
Tartareas vires, & tela recentia ſubdit.
Quin enſem, famuli ſumptis indutibus, enſem
Exhibet, atque hebetem centena à cęde reponit,
Ignorat Comitem teterrinus ille nocentem,

Sed tamen infernum perſentit adeſſe iuuamen:
Iamque vno pugnante Viro conceſſerat omnis
Celta, vbi inexpleto ſe quiſque opponere monſtro
Horret. Ad inſolitos quos auget vbique tumultus
Indomitus Chramnes (faciunt inſignia notum)
Exarſit iuſtos Martis Dagobertus in æſtus.
Ergo à ſtrage redux, qua pellit ab æquore Segnos
Forte loco oppoſitos, maiori prompta periclo
Infert ſubſidia, & rabidum ſic increpat ardens
Hyppocritam, Nondumne pudet turpiſsime rerum
Commouiſſe tuis populos in prælia votis?
Et perſiſtis adhuc oſtendere Gentibus ora
Improbus? Armorum procul à diſcrimine Chramnis
Dicta doloſa valent. Furijs agitatus iniquis
Is neſcit reſponſa, manu nam ſperat ouanti
Verborum complere vices. Sed tollere tantum
Dedecus humanis demum Dagoberte lacerto
Cælicolæ tribuere tuo, nam pectore toto
Inſurgis, rabidamque animam petis enſe; Fauentem
Aſt abijſſe Erebum, ſolitaſque recedere vires
Sentit atrox Chramnes, neſcitque obſiſtere Fatis.
Vel quia iuſtus adeſt ſat criminis vltor, & ipſam
Expectare manum reducis ſpes irrita ClodI;
Siue quod æterni dat fata nouiſsima Regis
Nutus, nec patitur Caput exultare rebelle.
Auctorem ſic dira ſuum ſibi bella repoſcunt.
Talis vt infeſto vicina noualia vaſtet
Ruſticus amne, graui percuſsit valla bipenni;
Immiſitque minax aliena in iugera flumen.

Hoc

Hoc ruit , atque pari fert ſecum armenta ruina ;
Infamemque Virum , & dextram tam fęda iubentem
Importat pelago , nec partibus aſſentitur .
Procumbit Chramnes , patriamque illiſus arenæ
Morte ſua ſolatur humum . Riſere ſuorum ,
Hoſtiles riſere acies , nulluſque volucrem
Diuertit , ne calcet , equum . Tum fama repente
Clothario perlata canit cecidiſſe nefandum
Ductorem . Gemuit , cupijtque cadauere turpi
Funeſtare oculos , & cum ſuper aſtitit ori ,
I decus egregium Regni , populiſque beatis
(Sic olim ſperare decet) magnam inſere mentem ,
Eque Polo ſuccurre tuis . Nec plura profatus ,
Inque nouas ſtrages , patrijque in funera Regni
Exilit , ac primo Albertum , Lamyrumque ſecundo
Impete transfigit , gladio tum ſæuus adacto
Continuat , flauumque Buten , fuſcumque Dicarcum .
Celtica ſic rabidus deſęuit in agmina , nullo
Iam prohibente luem . Quis enim concurrere Regi
Ex famulis auſit ? centeno impune cruentat
Sanguine Tellurem rabies truculenta paternam .
Nec minus exagitat diuerſa in parte maniplos
Cęnomanos Clodomirus , proſternit Alauſum ,
Vorganijque Ducem , fruſtra furit Autrica dextris
Nobilitas , fuſique ſimul dant terga Turones ,
Nouiomaguſque duplex vno certamine victus .
Lexobios , Senoneſque Pauor , pulſante Tyranno
Indiuiſus habet . Iam ſuſtinet Eduus vnus
Vrgentem , firmatque gradus , perituraque denſat

Agmina. Narbonis diro impete percutis audax
Paſsim Alarice Manus, incaſſum obſtante Coaſpe,
Et clamante procul, melius ſed cominus armis
Occurris, teloque Ducem transfigis acuto.
Ille cadit, multiſque cadit tamen ante peremptis,
Gaudet & ingenti circum obſitus hoſtium aceruo
Sic potuiſſe mori, gelido rogat anxius ore
Agmina, ne cedant, morienſque incendit in hoſtes
Vocibus his, Mecum iſta feram permittite mortis
Gaudia, quod pugnæ, palmæque propinqua relinquam
Pectora. Ductorem moriturum ſi quis amauit,
Si quis amat, pugnet, iam dum licet, edat Amorem.
His dictis flammati animi, furor omnibus idem,
Pugnaces animas dominis impendere Fatis,
Scrutarique cupit ſtimulis accenſa Iuuentus,
Anne vltra Mortem Virtus vehat, itur in omne
Diſcrimen, mortale ſupra decus ore renidet.
Irrita ſed Virtus, nam Rex noua bella cruentus
Infert. Strage tamen multa, varijſque ruinis
Lætum dimiſere Ducem, nondumque timentem
Quæ mox patratura acies. Vrgente recedunt
Clothario, & iugulis Regem prohibere verentur,
Eripuit bellum facies aſperrimas belli,
Et nuper quæ pugna fuit, iam barbara ſtrages.
At Regina necem ſumma ſpectabat ab Arce,
Taliaque ad Superos, & magnum queſta Tonantem
Effundit lacrymans, Cunctas præmittere Gentes
Clothildæ iam parce Deus, num funera eundum
Ad mea præcipiti per tanta cadauera Proli?

An ſine funeribus tantis, ſine cladibus eſſe
Infelix Clothilda nequit? Scelus eripe Natis
Clodoueu, miſeram crudelibus exime Terris.
Tantum effata gradus funeſta ad iugera vertit
Obiectura ſacram Ducibus pugnantibus Aluum.
Suſtinet inſtantem minitanti voce ruinam
Lętus Aquitano nondum fugiente, rotatque
Enſem Vldericus, Vos, clamitat, ardua Gentes,
Vos verè Francos vicinæ gloria palmæ
Poſcit. Sed rapidus, reliquis fugientibus, vrget
Clotharius, turbatque ſuos. Deſæuis acerbo
Vlderice odio, & mediantibus vndique turmis
Certamen cum Rege doles tibi grande negari.
Sed patere, & quantum tribuunt tibi Sydera laudis
Sume libens, alijs debebitur hoſtia fatis,
Et regale Caput regalis proteret enſis.
Fęda fugæ celeres iam terga dedere Cohortes,
Nec reuocare datur, licèt Aulum ſigna ferentem,
Intentumque ſibi iugules. At proxima cernens
Extremum, ſed grande decus tibi ſternere fata
Subſiſtis, nullaque latus cingente corona,
Prędia ſolus inis, occurrunt agmina mille,
Agmina mille feris, quin ſanguinis obrutus imbre,
Vulneribuſque grauis diris ſcelus obijcis armis,
Et Regem obiurgas, Præeo tibi perfide lethum,
Quod ClodI manus ipſa parat. Iucundius eſſet,
Hoc ſpectante, mori, teſtem hunc ſi fata negarunt,
Clotharium tribuere tamen. Par gloria reſtat,
Olli ſiue decus, tibi vel peperiſſe pudorem.

Sic

Sic ait, atque vnum factus per vulnera vulnus
Dum iam ſtare nequit, lapſurum corpus in illum
Inclinare iubet, Maneſque in prælia transfert.
Tu quoque, ſi Vatis non dedignata labores
Tutetur, memoretque libens hæc bella Iuuentus,
Perpetuæ referes præconia debita laudis,
Atque Menęcęis maior celebrabere buſtis.
Hoc magis arma rotat victarum in colla Cohortum
Clotharius, paruoque dolet, ſi ſanguine vincat.
Nam quid in ignotas mucronem exhorreat ille
Tendere ceruices, qui vel iugulaſſe Nepotes
Geſtit adhuc animis? Quin huc mihi Clodius, inquit,
Tertia regali iam victima debitus iræ
Adſit, an imbelli Matris, dum prælia feruent,
Delituit de more ſinu, vetuitque videri?
Inueniemus iter, quo ſemiuir ille latebris
Emicet, atque iugo cupientia Regna reſoluat.
Talia iactabat, multaque in ſtrage cadentum
Incedebat ouans, proculcabatque ruentes
Indefeſſus Equo, cum qua procurrit in æquor
Gallica Terra, Equitem proſpexit adeſſe volantem.
Scilicet horrendo chlamys atra colore, caputque
Caſsice nigranti clauſum, nigra pluma, nigerque
Terrorem Sonipes populis infudit vtriſque.
Nondum etenim patuit queis ſe ſe indulgeat armis
Pronus adhuc, in quaſue ferat ſua prælia partes.
At mox præcipiti ſupra victricia curſu
Agmina terribiles effundit turbidus iras,
Graſſantemq; manu Godefridum obtruncat; & Arnum

Ipſe

Ipſe impellit Equus , citiuſque in terga volutum
Exanimat calcans . Sacripantem , & Caſtora ferro
Tranſadigit , variaſque ſimul ſine nomine turbas .
Incendentem acies Alaricum , atque enſe ferentem
Innumeris cladem mortalibus aſpicit ardens ,
Inſequiturque minax , perterritus ille recepit
Crudeles à cęde manus , vbi cernere Regis
Arma horrenda datur , perfuſaque pectora nocte .
Cunctantem aggreditur , totaſque impendit in vnum
Rex ictum vires , mediumque à vertice findit ,
Cogit enim meritis mens cedere conſcia pęnis .
Is ruit , atque animam , cerebrumque vtrinque refundit ,
Victima magnanimo dudum mactanda Coaſpi .
Sic amiſſa diu reparauit denique belli
Tempora , ſuſcepta Briſeide ſæuus Achilles .
Tum ſortem mutare vices , Phrygioque cruore
Edocuit rurſus trans littora ſurgere Xanthum .
Hinc ſe ſe cuneis fugientibus arduus infert ,
Nec pudet , ò fidi , veſtro violare pudore
Regales oculos ? An Regia męnia præſtat
Degeneri fędare fuga , quàm ſternere ferro
Degeneres hoſtes ? Pugnæ iam reddite dextras
Reddite belligeras , ignotaque terga negate .
Vocibus his duri mutata eſt alea Martis .
Creſcit in aduerſis terr or legionibus ingens ,
Magna Pariſiacas implet fiducia turmas .
Tum Clodomirum iuſta modo cęde furenti ,
Sorſue , Deuſue tulit , bellumque adduxit acerbum .
Primus fuſum apicem proturbat Principis enſe

Patruus , & galeam tinnitu inuadit iniquo:
Verticis ornamenta cadunt, ſed vaſta reſurgit
Ira Viri, & iuſtas leuior depoſcere pęnas,
Pluma abeunte, venit. Varijs tunc ictibus Heros
Sollicitat Regem , nunc huc nunc diuidit illuc
Alipedis , dextręque vias, laterique minatus
Ceruicem enſe ferit, feſſæque inimica coercet
Spiramenta animæ . Numeroſa ſub inde micabant
Vulnera purpureis riuis , fatique propinquas
Clodomire minas, victore nepote, videbas.
Cum procul ingenti Clothilda inuecta tumultu,
Parce, ò, conclamat, quisquis mea viſcera Miles
Impetis, ac in me potius conuerte furorem,
Regalis ſi tantus Amor, votumque cruoris.
Reſtitit hic Iuuenis, retroque micantia flectens
Lumina , Reginæ vultus aſpexit inermes.
Obriguit, riſitque ſimul, gladiumque recluſum;
Obſequij generoſa pij monumenta iubentis
Ante pedes fundens, Sola hæc tibi, perfide, dixit,
Tradere opem poterat , iuſtoque obſiſtere Fato.
Sed tu, Magna Parens, (nec enim diuturna negabunt
Exilia, vnde oritur melior mihi gloria , nomen)
Parce moræ, turpiſque metus oblita , fugæque
Suſcipe iam reducem. Senioris crimen Alumni,
Si crimen iuuat eſſe, fuit. Sic voce loquentem,
Atque manu galeam capiti extorquere parantem
Corripit ipſa vlnis , atque oſcula conſerit armis.
Aſt inter fidas tum languidus ille ſuorum
Corruerat non ſponte manus, nam ſanguine fuſo,

Atque

Atque labore grauis vires emiſerat omnes,
Exceptuſque humeris Comitum iam caſtra ſubibat.
Quæſiuit duro Genitrix accedere Nato
Blanda quidem, plagaſque ſinu refouere libenti.
Ille recuſauit, Matris quàm cernere vultus
Male mori repetens, Sortiſque explere furorem.
Ergo ſtatim reducem, ſubeunte nepote, Parentem,
Cui miſeri Sobolis minuunt noua gaudia caſus,
Excepit lętis immenſa Lutetia muris.
Iungitur & Statilda redux, nam in bella ruentem
Regem haud auſa ſequi, (Martis licèt auſibus æqua;
Infenſum venerata Patrem. Quàm ſæua libenter
Vulnera viſceribus cohiberet hiantia fidis!
Sed nullus, graſſante, locus ſeruatur Amori,
Gradiuo, turbatque pios tuba bellica planctus.
At ſubit attonitæ iuſtum ſolata dolorem
In Matris Clothilda vices, lacrymaſque fluentes,
Ter quater amplectens, Gnatæ inter nomina tergit.

CLODIADOS
LIBER VNDECIMVS.

ARGVMENTVM.

FVso Clotharij exercitu ipſe exit in furias, & viſo Fratre ſaucio mittit lacerare regalium infantium corpora Pariſios. Luget Clothilda, & ſuperueniens Clodius, qui vindictam iurat. Dum exit ab Vrbe, ſuas copias perluſtraturus, habet obuium Chramnem, qui certamen poſcit ſingulare. Annuit, & in remota conualle pugnam ineunt, procul obſeruante Dagoberto. Vincit Clodius Chramnem, quem detracta caſſide eſſe reperit Hermenegildam. Sibi immeritò iratam oſtendit. Tum dictis amore fœtis ſe inuicem ſolantur, & illam deficientem ipſe quoque deficiens comitatur. Accurrit Dagobertus, & Principem in Vrbem ferri iubet. Viſo ingenti Virginis vulnere exanimem ratus abit. Clodoueus Cęlo delapſus illam annuentem ſacro flumine proluit, & Animam ad Superos ducit. At cadauer iuſſu Clodij quæritur, ſed non inuenitur. Nam Amaldus Scotiæ Princeps, qui Hermenegildam fruſtra quæſierat, lacerum corpus collegerat, & in proximum mapale pertulerat. Illi ſuperuenit Numitor in Patriam rediens, & agnitam, quam Clodio dilectam nouerat, Virginem Amaldi manu periiſſe ratus, cum illo pugnam init. Saucij ambo corruunt. Superueniens Numitoris Pater Erminius tamdiù à Regno abſens Nato medetur. Tum adeſt Dagobertus, qui per callem cruore perfuſum Virginis quærebat cadauer. Is narrat ipſam Clodij manu cecidiſſe. Ignoſcit inſonti Amaldo Numitor, & Patrem rogat, vt & ipſi medeatur. Hinc omnes pariter ad Vrbem diſcedunt. Clodius Virginis interitum lacrymatur, & mori certus languore corripitur. Dein ſomno captus cernit Hermenegildam cum geminis Fratribus cœleſti lumine obſitam, quieſcere iubentem. Paret ergo, & peragit illis exequias.

INtereà cladem per iugera longa nocentes
Suſcepere acies, Vexilla ſubacta maniplis
Incubuere ſuis, ſqualleſcit imagine totus
Mortis ager, rubriq; rigant fera rura Moſellę.
Hei mihi Theſsalici monumenta immania belli
Cognatæ retulere manus! Crudelius illa
Clade tamen ſcelus hoc, quod viſcera nulla Nepotum,

In-

Infantum haud iugulos Pietati Theſala debent
Iugera . Feciſtis iam propria crimina Fratres,
Rurſus Echionias Orbem traxiſtis in iras.
Mæſta profanatis ſuccedunt agmina muris
Iuſtitia deuicta prius quam perdita ferro,
Et iam ſtare gradu dementia viſa procaci.
Iamque fugam, tutoſque iubent ſub Caſtra receptus
Claſſica , funeſtos damnantia claſsica campos.
Quot caſus humana rotant ! Prius alta timebant
Culmina vicinas gemino de Rege ruinas,
At modò diſruptos lacrymabile regia frænis
Vindicat ira nefas, inſectoreſque fugantur.
Æſtuat aſpecto furibundus vulnere Fratris.
Clotharius, queriturque ſuo deeſſe furori
Materiam ſcelerum. Iamque à Genitrice redibat
Nuntius, &, NEVTRVM ſecernere poſſe ferebat,
Dirum vtrumque ſibi, miſerabile vtrumque fatentem.
Præueni ſed vota refert, iuſtumque dolorem
In tuto poſui, iam munia fecimus enſis
Digna, iacent medio diſperſa cadauera campo.
Rex ita færus ait, pollutaque ſanguinis imbre
Vno bina iubet componi membra feretro.
Tympana nulla gemunt, nullus comitatus euntes
Squallor, produci vulgaria funera credas,
Et de plebe rogum , tetro nam vellere totus
Obtegitur. Miſeræ tamen illuſura Parenti
Crudelis Soboles gemino Diademate crines,
Corporaque impoſito puerilia iuſſerat oſtro
Effulgere. Volat prænuncia Fama ferente

Munera adeſſe Viros, pacemque à Matre precari.
Ipſa tamen cunctatur adhuc, neſcitque ferocis
Virtutem Prolis ſperare, & gaudia differt
Infelix. Adeo Natorum & munera terrent!
At ſimul ac limen triſtes ſubiere Miniſtri,
Detexere nefas, ſtragemque, & funera duro
Inuidiam paritura Polo. Poſuere cadauer
In medio geminum, ſpatiumque dedere dolori.
At iam non fortis Clothilda videre nefandum
Cętera conſtanti facie ſcelus, ergo profatur
Lymphatę ſimilis, lacrymiſque horrore negatis.
Hei mihi quæ rerum facies? quid cernimus? ò lux,
O funeſta Dies! ò Gallia! an atra paratur
In luctus hæc pompa tuos? O barbara Proles,
O' vteri tormenta mei! Proh cara Nepotes,
Pignora, maternas taleſne reditis ad vlnas?
Exanimes? laceri? vigilo, vel inania ludunt
Somnia? ſed nimium pulcherrima lumina ſomno
Æterno concluſa tuor, nec viuere ceſſo.
Proh dolor! hoc igitur Nati? ſed nomine abutor
Vnde ſacro? Hoc Patrui tandem? ſed longius erro,
Hoc Reges fecere nefas? ſed ſceptra gerentes
Hircanas rectura feras, Lybicoſque Leones.
Hei mihi quid tantæ puerilia corpora cędis,
Quid meruiſtis opus, ſolus quæ perdere Lictor,
Atque acies nudata queat? Conſumitis enſes
Heu Nati, nimium que mei, dum ſcinditis artus;
Quos etiam violaſſe ſat eſt; Rata vota tuliſtis,

Re-

Regius in famulas cruor emicat vndique Terras.
Cui præſtes impune fidem vel prodita Natis
Infelix Genitrix? Voſque ò, quos nulla nocentes
Culpa facit, quid non potuiſtis ſanguine puro
Crudeles lenire manus? An iuſtius vltra
Debuit eſſe Caput, quod viſcera dura moueret?
Certè culpa fuit, Patruos optaſſe cruentos,
Hoſtiles optaſſe ſinus, mortemque paratam.
Sed mea culpa, mea eſt, ego vos ſcelerata peremi,
Vos ego dimiſi per tela inimica, per enſes.
Ecce nocens vterus; mihi forfice dignior Aluus,
Dignius enſe Caput. Solitos in veſtra furores
Viſcera graſſari (rabiem ſatiate cruoris)
Ah precor in miſeram Nati conuertite Matrem.
Hæc vna immeriti, ſed Amoris, præmia poſco.
O nimium viuax in funera triſtia pectus,
Pœnarumque capax nimium, da libera morti
Oſtia per ſæuos geminato in funere teſtes.
Spiritus in lacrymas abeat, ſi vulnera nondum
Infelix merui, & peiora ad fata reſeruor.
Quos artus miſeranda prius, quæ vulnera tractem?
Carum vtrumque mihi gremium miſerabile vel ſic
Excipiat, notumque grauet mea brachia pondus;
Sed minus, effuſo per vulnera vaſta cruore,
Imparia ætati, ſed iniquis æqua lacertis.
Ah vbi Syderei, mea maxima gaudia, vultus,
Frons vbi candeſcens, aurumque volatile crinis?
Scilicet haſce comas, video, rapuere feroces,

Cum

Cum fodere truci puerilia corpora ferro:
Ite Animæ dulces, dudum inuida Sydera Cęli
Vincite, deſerto ſuccurrite Numine Fratri.
Hos gemitus Regina dabat, cum victa dolore
Denique procubuit, dum ſpem fouet effera lethi,
Orditurque mori. Tum Clodius atria pulſat
Arduus, & tragici ſpectacula dira Theatri
Aſtupet, & miſeri poſcit cui dentur honores.
Aſt vbi de duplici venit Diademate fulgor
Obuius, & dira ferijt vaga lumina flamma,
Nunc Cęli Rex ſumme tona, iam crimina fulmen
Æquauere tuum. Pudet arma humana vibrare,
Dum ſcelus infernum regnat. Virtute nefanda.
Non melius ſuperare iuuat ſcelerate Nepotem,
Clodomire? refers vitæ ſic dona receptæ
Sic ait, & feretro interdicta ſuperuenit. Hauſit
Fortior ore diem, concepto nomine ClodI
Clothilde, viſoque Nepote ſuperſtite cępit
Mortis amare moras. Tum collo infuſa micanti
Exclamat ferale gemens, Hæc munera mittunt
Clotharius, Fraterque tibi; Victoria tales
Quæſiuit palmas, iam dum potes, accipe Fratres:
Talis & Argolicis quondam opportuna maniplis
Funera, mæſtiſono fleuit Genitrix vlulatu.
Archemori lugubre decus, quem verbere caudæ
Confecit nemoris criſtatus Terror Achæi.
Tum cui multus ineſt generoſo in pectore Mauors;
Princeps haud madido ſic turbidus intonat ore.
Audite, ò quibus eſt Regnorum tradita cura;

Cę-

Cęlicolæ, æterni vos conſcia Sydera motus,
Quæque tenet fixus rutilis fulgoribus ignis,
Tuque infida tuis cuſtodia Regibus, audi
Gallia, perpetuas, quas pectore concipit, iras
Clodouei lugubre genus. Non arma reponam
Iuſta priùs, quàm vita cadat, vel iuncta triumpho
Perfida colla meo quondam puerile ſepulchrum
Supplicibus palmis, & flexo poplite adorent.
Tunc egomet (Pietas nec inopportuna mouebit)
Supplicium mucrone petam, ſolamina caris
Apta quidem buſtis, ſed parua, & lenta parabo.
Sic igitur Fratres primęuo in limine vitæ
Vos rapit atra dies? Sine me, quo crimine damnor?
Indignuſne fui, qui funera iuncta ſubirem,
Quod procul à vobis ſuper æquora diſsita vectus
Triſte tuli exilium? cuius tormenta leuabam
Dum memorem ad mentem dulcis Gottarde redires,
Damnares Tebalde moras. Hic vincitur ingens
Clodius, extorris ſic lumina ſicca madeſcunt
Iam reducis, DOMAT vnus Amor fortiſsima corda.
Sic glacialis Athos, concreta vbi frigora durant
Perſtat, & attonitum ſuperat cumulatus Olympum,
At ſimul imbre nouo decreſcere cępit in amnes,
Vincitur, & lacrymas per mille fluenta fatetur.
Erumpunt gemitus Populi, luctuque recenti
Atria longa ſonant, ceu pulchra cadauera Turbæ
Conclamata diu nuper miſiſſet in Vrbem
Clotharius, furere tue recens per vulnera mucro.
Sic gemitu Regina truci, ſic cętera planctu

Pectora, & horrendo perſultant omnia plauſu.
Iamque frequens aderat pullo in ſquallore Senatus
Teſtatus mærore fidem, dirumque gemebant
Claſsica, & obuerſis lugens quoque miles inarmis.
Clodius interea iam non renuente parari
Bellum Auia ferale iubet, dirique recentes
Criminis vltores iuſtis accedere Caſtris.
Vtque omnes tutis reduci Ductore cateruas
Colligeret muris, extremaque bella pararet
Hoſtibus, è portis greſſum rapit arduus altis,
Et viſit madidos inimica cęde nouales.
Attamen ignoſcit turbæ, plebiſque cadauer
Non putat indignum venia, quod ſumpſerit arma
Immerito deuota Duci, Quid profuit, inquit,
O miſeri, Patruos armis texiſſe furentes,
Legitimoſque Duces, ſi belli nempe carebant
Legitimis cauſis, tantos quid perdere iuuit
Cędibus innumeris Populos, & Regna, Tyrannis
Expletura Manus votum miſerabile Regni?
Sic pius hoſtilis perluſtrans funera Gentis
Aggemit, atque ſuos neſcit laudare triumphos:
Ecce autem celeri trans alta cadauera ſaltu
Spectandus notis Chramnes inſignibus ibat,
Poſcebatque ferox forti cum Principe pugnam:
Nutu verba tamen fingens proferre recuſat
Indignabundo ſimilis de Caſside voces.
Quin etiam digitis monſtrantibus, ire remotas
Effuſa de ſtrage vias, perque aſpera collis
Poſtulat exigui; ſequitur nil territus Heros,

Acceleratque gradum,& ſpatium breuis inuidet horæ.
Nec ſatis eſſe putat, tantorum cauſa malorum
Ni proprio demùm enſe cadat, Cultorque Tonantis
Inuiſa mentitus humum ceruice cruentet.
Quin procul & turmis, Abſiſtite, clamat, amicis,
Hic meus hoſtis, hic eſt, regali debitus iræ.
Tu mihi perſolues Fratrum pro funere pœnas
Perfide, dilectis ſed vilis victima buſtis.
Poſt hæc Armandum telo hunc violare parantem
Increpat, obiectaque tegit quoque pectora parma.
Mœnibus obuertunt, & terga fugacia caſtris
Ancipitis regione viæ, vallemque profundam
Diſpoſitos inter colles pro tempore cernunt.
At non magnanimi linquis veſtigia Regis,
Namque tibi capitis cuſtodia iuſſa ſupremi,
Quin multa Gariberte manu, ne forte doloſo
Clotharij ingenio, & diri ſtratagemate belli
Procumbat, properas, ſequeriſque remotus euntes.
Subſtitit ergo prior Chramnes, gladioque recluſo
Infauſtæ ſpatium ſignauit flebile pugnæ.
Nec renuit Princeps, bellumque orditur acerbum.
Ars procul, atque ſui cuſtodia, ſæuit uterque,
Nec ſua damna timet, dum vulnera tendat in hoſtem.
Hinc pugnat ſpe caſſus Amor, ſed criminis illinc
Vltrix ira furit ſpolijs deluſa nefandis.
Ille recens aderat, nulloque à vulnere belli
Æger adhuc vires compenſat Principis hauſtas.
Credas eſſe pares. Longum tamen ille laborem
Diſſimulat, citius niſi vincat, vincere tædet,

Et galeam aduerſam repetitis ictibus vrget,
Delibatque ſinus, factiſque miſerrimus audet
Plaudere vulneribus. Cur non præſaga malorum
Summe Pater Superum mortali corda dediſti?
Iam leuiùs, leuiuſque grauem mucrone lacertum
Impellit, ceditque gradu quaſi ſupplice Chramnes.
Mox inquit, Satiare meo iam perfide letho,
Deſertoſque toros meliori Coniuge comple.
Iam data libertas vitijs. Exhorruit alto
Pectore Rex, timuitque ſonos nouiſſe cadentis.
Vox extemplo animæ deſcendit ad intima amantis,
Traxit & iniuſsos dubitanti è lumine fletus.
Aſt ubi formoſi direpta caſſide apertum
Suſcepere diem vultus, tum denique ſenſit
Crimen, humique artus ingenti mole remiſit
Clodius, Huc igitur te deuius abſtulit error
Pars animæ miſeranda meæ? potuitne mereri
Has pœnas temerata fides? ſed iuncta iacenti
Quæ mihi Virgo ſtetit, Patrui certiſſima noſtri
Progenies Statilda fuit. Quid ſæva maritum
Hermenegilda fugis? quid lumina dulcia condis?
Namque oculis aderat iam caligantibus error
Vltimus, & facies, & candida colla cadebant.
Innocuum reperiſſe Virum ſed conſcia, pulchros
Ore dedit miti, felix in funere, riſus.
Atque ait, Ignoſco nulli cariſſime? culpæ,
Nam tua nulla fuit; te nunc ignoſcere Amanti
Deprecor, atque meos dimittere mente furores.
Sique ſatis non eſt ſceleri mors una luendo,

Vna poteſt uno mulctari funere vita.
Plura darem, ſi plura forent. Tu parce quietam
Abſterrere Animam, letæ neque pectus Amantis,
Te ſemel aſpecto, rurſus, lacrymante, flagella.
Sic ait, & fidos moriens amplectitur artus,
Et ſi quid vitæ membris languentibus ultra
Reſtat, in obtutus id colligit ægra ſupremos.
Scilicet in medio ſic lilia candida prato
Poſt inimicum imbrem languentia colla reclinant.
Hinc piget & reliquos Dominorum funera flores
Cernere poſſe, paremq; petunt pia germina caſum.
Rex ita crudeli correptus viſcera luctu,
Deq; alias latis exhauſto ſanguine plagis
Corruit, & labro premit oſcula anhela rigenti.
Horruit ipſe ſcelus Titan luſtrare tremendum
Luminibus, tenebriſque diem violavit amicis.
Vel quia triſte pijs factum ſperavit in umbris
Condere, vel trepidi cum iam quererentur Amores,
Horreretque humana Venus, miſerabile Mundo
Exemplum attonito trepidans Natura negavit.
Sed tamen incaſſum, ſiquæ modo denique reſtat
Gloria carminibus poſt lumina prima, nec omnem
Præripuit ſibi Smyrna locum, ſubreptaque flammis
Mantua, venturi diſcent monumenta Nepotes
Triſtia, & infauſto lacrymæ tribuentur Amori.
Vidit ab excelſo Garibertus vertice collis
Funeſti finem certaminis, irruit ergo
In præceps, Regiſque timet properantia lapſi
Fata, Ducem trepidans comitatur protinus agmen.

Vt miſeris demum ſuper aſtitit, Hei mihi, clamat,
Quis victus, quis victor erit, ſi functus uterque?
Sed quid inexplicitis juncta ora amplexibus hærent?
Anne aliquo captos luſu fortuna fefellit,
Dilectoſque priùs morituri agnoſcitis artus?
Non etenim Chramnem frons hęc pulcherrima reddit.
An dum Fata feros coniungere ſcitis & hoſtes,
Magnanimas mentes præuertere Fata iubetis?
Quidquid id eſt, miſeros facturus quiſque Parentes,
Quiſque ſuos Populos. Sic fatur, & arma iacentum
Exuit, ac trepida vitæ ſecreta requirit,
Si ſuper vlla, manu; confeſtim viuere Regem
Senſit, & exili vitalia ſurgere motu.
Hunc ſuper impoſitum famulis ad mœnia fidis
Imperat inferri, ſed cum ſcrutatur & hoſtis
Pectora, creſcentes morienti è marmore mammas,
Vulnuſque infixum reperit, qua interſecat ambas
Lactis iter medium. Vaſto deſcendit hiatu
Vulnus, & exhauſtam, vitaque, & ſanguine ſignat.
Ergo abit, exanimis ſortem miſeratus iniquam.
Occurrunt confuſæ acies, & queſtibus altis
Seminecem lacrymantur Herum, queruloq; perennem
Teſtantur mœrore fidem. Iam iamque vocatur
Officijs Comitum Princeps, populique querelas
Auribus attonitis, & adhuc dubitantibus haurit.
At non ſuſtinuit deſcendere ad ima nocentum
Tartara Clodoveus, tantiſque accedere pœnis
Inſontes Manes moribundæ Virginis, unus
Cui fuit error Amor, miſeroque ignoſcit Amori.

La-

Labitur ergo Polo, properataque ſuſtinet Vmbræ
Spiramenta piæ, poſcitque an flumine ſacro
Mergat colla libens? illa annuit, atque beata
Agnoſcit ceruice Deum per flumen euntem.
Corporis hìc demùm retinentia vincula ſoluit,
Formoſamque animam plaudentibus inſerit Aſtris.
At magis, atque magis Princeps ſibi redditus, omnem
Obſervat, iam mente, locum, meminitque peremptæ,
Atque ait, Infauſtum quonam Gens inſcia Corpus — Tasso XII 78 sgg.
Nequicquam vehitis, mediiſque relinquitis aruis
Errabundam animam? Sævo me reddite Campo,
Reddite, ſeu reliquum cogam procul ire cruorem.
Scilicet infandæ facilis ſit præda ferarum
Illa fami, & turpem liceat mihi ducere vitam? Tasso XII 75
Vos ſequar ò, ſortiſque paris ſubiturus honorem,
Dulces relliquiæ, ſociaturuſque ſepulchrum.
Talia iactantem placat Garibertus, & orat
Regales intrare lares, Ego Virginis artus
Perquiram, & vectos paruo tibi tempore ſiſtam.
Ægrè aſſentitur precibus, ſed fata morari
Secum conſtituit, donec vicinus amatum
Obtineat corpus, gelidiſque expiret in ulnis.
Iamque excepta manus regalibus anxia tectis,
Clothilda occurrente, aderat, magnumque locabat
Stratis depoſitum. Medico ſperata lacerto
Principis inde ſalus, tantumque in ſanguine fuſo
Eſſe malum patuit. Diro ſed in æquore nuſquam
Quæſitum corpus reperit Garibertus, & omnem
Anxius, itque, reditque locum, qua prata cruentat,

De-

Deſignatque nefas profuſi ſanguinis imber.
Irritus at labor eſt, abit ergo per inuia præceps,
Quaque viam cernit paſſim rubuiſſe cruore,
Hac volat, heu Regis nunquam rediturus ad ora,
Ni pulchrum referat pondus. Sic ordine mœſtus
Purpureum diſcurrit iter, qua Virginis artus
Vexerat inde humero peregrinus Amaldus amanti.
Scilicet à Patrijs iamdudum ſedibus exul
Errat, præcipiti poſtquam miſerabilis exit
Virgo gradu, & fortis ſequitur veſtigia Franci.
Inde dies, nocteſque terit, nullique labori
Vincitur, at miſero non ante inuenta Virago
Quàm poſt fata Viro eſt, Regniſque illapſa beatis.
Ergo furit, dulceſque gemens ex æquore tollit
Exuuias, ſecumque rapit, propiuſque decorat
Depoſito Magale ſacro, tum queſtibus implet
Attonitas ſyluas, & non omnino rigentem
Sperat adhuc reuocare. Domum poſt longa petebat
Exſilia interea, nemoris per amæna propinqui,
Finitimas ſed enim Regem redijſſe per Vrbes
Audierat, Numitor, paruique Mapalis ad ora
Forte venit, laceramque videt, faciemque iacentis
Illico cognoſcit, dilectaque pectora Regi.
Tum ruit, &, Meritas ſolues mihi perfide pœnas,
Ceu furijs agitatus, ait, gladioque recluſo
Ibat in aduerſum. Capulum non ſegnior ille
Obijcere; Hic magnum paruo ſub fornice bellum
Incipit, anguſti plagis tribuere Penates
Non ſegnes aditus, nequeunt dum membra tueri,

Et

Et ceſſiſſe gradu. Brevibus ſic temporis ambo
Procumbunt ſpatijs, altoque cruore redundant.
Et fortaſſe ſimul properantia fata ſubiſſent,
Ni magnæ ſemper Cuſtos certiſſimus æther
Virtutis miſiſſet opem, caſumque levaſſet.
Tu quoque Pariſios triſtis contendis, at Vrbem,
Erminl, ubi acceſſiſſe vides, orbamque Nepote
Clothildam, lacrymas, iterumque, iterumque refundis.
Tum procul armorum nemoris de valle feroces
Excipis aure ſonos, pugnæ ſpectare voluptas
Impellit ſeriem, & laribus ſuccedis iniquis.
Heus vbi proſtratam ſobolem, laceramque iacere,
Semi necemque vides, lymphato horrore ſeniles
Surrexere comæ. Celeri tum pectora tactu
Pertentas, animamque tamen ſupereſſe, locumque
Pœoniæ lætaris opi; tum tradita ab ipſo
Balſama Clodoueo faciles exponis in vſus,
Et Natum reuocas. Aderat Garibertus, iterque,
Qua cruor effuſus paſſim deducit, inibat.
Dum ſubit ergo Caſæ limen, cernitque repente
Erminium, gaudens æquæua in colla ruebat.
Lætitiæ ſed Virgo modum, ſtratique dederunt
Confeſtim Iuuenes, breuibus tum narrat acerbi
Interitus ſeriem; Innocuum dum repperit hoſtem,
Ignoſcit Numitor, Patremque precatur & illi
Auxilium præbere manu. Dein Menibus ambos
Impoſitos famulis Iuuenes cum Virgine ducunt,
Et pompa inſoliti producitur effera luctus.
Vt celſas iniere fores, limenque dolenti

Com-

Compreſſere gradu, funus lacrymabile ferri
Perſenſit Princeps, voluitque occurrere, vires
Sed nimis exhauſtæ vetuere, tremenſque, ſilenſque
Ceruicem attollit, reduciſque ubi vultus Alumni
Emicuit, NON hæc equidem, cariſſime, dixit,
Hermenegilda fuit, non ora ſimillima Diuis,
Non oculi, fulgorque genæ, nec amabile dulcis
Pondus adeſt vocis, quæ me graſſantibus olim
Eripuit fatis, cum tu rapiente carina
Illuſus fugeres, circumque, ſupraque micarent
Enſes innumeri. Tunc me per tranſtra ruentem
Excipit illa ſinu, pulchraque opobalſama dextra
Admouet. O' felix properatæ munere mortis
Clodius, in gremio ſi tum perijſſet amato.
Lucro eſſet iactura minor, tum funere merſum
Solarere pio, Virgo fidiſſima, fletu,
Nec tua, nec fraterna miſer iam fata viderem.
Iſtane tam fido debebam ſæuus Amori
Præmia, ſic vitam, libertatemque rependo?
Hoc igitur rabidum terris, pelagoque ſecuta es,
Vt demum iugulata meo mucrone perires?
Crudeles oculi, quos & crudelius ipſa
Crimen habet dextra; vos cernitis, illa peregit.
Cernitis arentes? iam denique ſanguis inundet,
Qua lacrymis debetur iter. Sic inquit, & omnes
Faſciolas manibus frangit languentibus; exit
Inde cruor, ſenſuſque dolor iubet ire fugaces,
Atque coacta tenet perituræ ſtamina vitæ.
Accurrunt Comites, iterumque vocatur ad vſus

Tasso XII 82

XII 83

Spi-

Spiritus inuiſos, medicamine vulnera ſpargit
Cœleſti Erminius, tunc & Clothilda furentem
Conatur lacrymis placare, obicitque pudorem.
Is tamen hortatus non mitior audit amicos,
Quàm truciſira maris, quod pugna Aquilonis, & Euri
Exercet, pauidi clamata pericula Nautæ.
Clodoueus non ipſe, rear, non Ætheris Ales
Suadeat ingratam Iuueni ſperare ſalutem.
Interea fuſcis ſubtexerat æthera pennis
Vox citiùs deuecta Polo quàm priſca vocarent
Naturæ decreta, pijs ut conderet vmbris
Infandum, & duro lacrymabile funus Olympo.
At languoris ope iniuſſus regalia ſomnus
Poſsidet haud ægre membra, intruditque quietem.
Ecce autem diui tum plena decoris imago
Aſtitit ante oculos, tenebraſque nitore fugauit.
Scilicet æthereis ades Hermenegilda Theatris
Pacatura Virum, non qualis vulnera quondam
Sanas prima Ducis, ſumma nec ut ante feneſtra
Vinci Edanum gaudes. Sed toto lucida Cœlo,
Sydereoque gerens chlamydem fulgore micantem,
Obnubit Diadema Caput, quod Rector Amorum
Aliger in dulces quondam fabrefecerat vſus,
Noſtroque induerat ſimiles cum Sole colores,
Lumine Solis enim, quin & meliore renidet.
At latus obſeruant parili candore coruſci
Regales pueri, quos perfidus abſtulit enſis
Nuper, & afflicto perhibent ſolamina Fratri.
Verſa quidem ſpecies, ſed non quæ vertere formam,

Tasso XII 91.

Tasso XII 91

Sed formam potius valeat cumulare priorem.
Tum dulci terſiſſe manu labentia viſa eſt
Flumina luminibus, riſuque hæc orſa ſereno.
Agnoſciſne tuam fidiſsime? an ora beatæ
Mutauere domus, ſummique Theatra Tonantis?
Certe Ego Clodouei nuper Pietate redempta,
Et Patrijs addicta Polis. Is præmia noſtræ
Tanta dedit fidei, puroque ignouit Amori.
Suſpice quam nitidis cinctum caput emicet Aſtris,
Hæc tribuit Sacrum vitalia ſerta Fluentum.
Tu tamen interea ne ſpes intercipe Fratrum,
Neue meas; Cœlo poſt tempora longa ſodalem
Expectare iuuat reducem, pariterque beari.
Comprime aberrantem nimium per deuia mentem,
Diſce pati, iuſſuque meo quoque viuere diſce.
Iamque ſcias, me nulla dies mutabit Amantem,
Æternumque Poli Comitem te ſpero per æuum.
Tu munus iuſsis mereare laboribus ingens.
Hæc poſtquam & gemini Fratres ſanxere, lacertum
Non alio explicuit geſtu, quàm quò ante Britannum
Vulnera per pelagum, terſit, ſomnoque repente
Excuſſum fugere leues. Is, reddite, clamat,
Reddite, voſue mihi, ſocium vel ferte per auras.
Sed fugitis? vobiſne licet ſæuire? quid Orbis
Dirus aget, Superis ſi fas crudelibus eſſe?
Vocibus his famuli placidam rupere quietem;
Et dominos adiere toros, hic vulnera quærit,
Ille cicatricem, ſed nulli inuenta cicatrix,
Vulnera ſed nulli; tum ſic placida ora benigno

Affatū

Affatu ſoluit, (mentem frons ipſa remiſſam
Edocet) Ite citi, magnamque ad ſydera molem
Phidiaca prodire manu, quà dulce quieſcat,
Dicite, depoſitum. Miſeræ nos denique vitæ
Damnamur, rurſuſque moras pia vota feretis.
Nutibus incumbunt omnes, animiſque triumphant,
Principe placato. Nondum primæua vehebant
Fulgura lucis Equi, cum tollere pegmata, Cœlo
Auſæ mille manus, Aſtriſque inferre cadauer:
Quidquid ab incauti pretioſum viſcere quondam
Deſcendit Cyniræ, molleſque tulere Sabęi,
Quodque Arabes, Cilicesque ferunt, Solymæaque Tellus,
Congeritur, ſæui quò iniuria temporis abſit,
Et duraturis vincantur ſæcula membris.
Tum Polycletæas dextras, & nobile ferrum
Artifices ſudare iubent, hinc Mentoris artes,
Pyrgoteliſque ſimul, coeunte Myrone, laborant.
Tollitur OEbalium, Pariumque ad ſydera marmor,
Atque Lucullæum, Phrygiæ neque defuit oræ,
Iſtriacique ſtetit ſoboles nitidiſsima montis,
Et præclarus Onyx, & quæ fert barbara Memphis
Munera. Tum profuſum operi committitur aurum,
Dant Arabes Adamanta ſuum dat diſsitus Indus,
Dat Macedo, Cypriuſque ſuum. Confuſe Smaragdo
Blande Amethyſte vires; proprijs Carbunculus ornat
Extinctos flammis cineres, fuſcatque decorem
Chryſoliti: Rex cara diu in quocunque metallo
Membra adamare cupit, cunctis dare nomina Gemmis.
Quin etiam, immenſi pulchra argumenta doloris,

Quattuor in ſummo deſcribere vertice Molis
Corpora, Apellææ commiſit munia dextræ.
Primus in arenti mæſtiſsimus arbore TVRTVR
Conqueritur Comitem crudeli funere raptam,
Inſcriptumque gerit, SINE TE STERILESCERE
DVLCE.
Hinc ſtetit aprico viridans CROCODILVS in agro
Lethiferumque caput, funeſtaque lumina fletu
Sparſerat, ante pedes in ſanguine voluitur AGNA,
Atq; ſupra, O' VTINAM VIRTVS MINOR. Al-
tera amæno
Expoſuit tabula expirantia LILIA in horto,
Cauſa obitus properi, TITANIVS ARDOR aduſsit.
Illis lemma fuit, NIMIIS EX IGNIBVS, aptum.
At parte ex alia Tarteſsia littora præceps
PHOEBVS adit, curſum conſtans comitatur euntis
Flammiuomum, CLITIES qui ELOS de funere Amãtis
Nomina mæſta tulit, ſuperaddita verba, QVIS ALTER?
Mollibus interea dederant opobalſama Regi
Tollere membra toris, poſitum cum viſere Amaldum
Approperat. Nondum penetralis limine ſummo
Conſtiterat, Pudet hoſpes, ait, de cæde nocentem
Me tibi, crudeleſque pudet producere vultus.
At non hanc equidem tenui cum forte cadentem
Promiſi veſanus opem. Quid enim improba Hiberni
Tentamenta manu iuuit compeſcere Monſtri,
Si Virgo iugulanda fuit, nulliſque luendum
Fluminibus crimen potui componere laudi
Exiguæ? Nihil ille refert, complexibus hæret

In-

Insolitis sed uterque gemens. Vt fortia tandem
Rupit fræna dolor, Tibi suscipis optime frustrà
Non tuum Amice, nefas, inquit. Me funera certè
Virginis excruciant, maior sed causa dolores
Me miserum fecere tui. Quid crimina Fati
In te dira trahis? Fideiue reposcere læsæ
Debuerat rationem aliter, si læsa fuisset,
Seu vel certa mali dilecto à corpore saltem
Pugnaces arcere manus. Quis pectore in vno
Sedem Odio statuet, veroque insanus Amori
Vnicum in obiectum? Me me sine flere iacentem,
Ærumnas inter cui plurima transijt ætas.
Non teneo ad gemitus rude pectus, & omne malorum
Consumpsi ingenium. TENET hunc solaminis vsum
Æternis Sors ducta malis, quod ad omnia durat
Quos agitat, miserumque putant caruisse labore.
Disperdi pretium, longique doloris honorem,
Si nondum esse miser didici. Solamina præbet
Ius crudele quidem, sed ineluctabile Fati,
Virgine nam viva cadere ante deceret Amaldum,
Quàm sperare suam quam tu, fortissime, amares.
Plura loqueretur, nisi poscceret anxia Fratrem
Spectandum, summasque fores Closinda subiret.
Attulit illa moram, spatiumque doloribus æquum,
Lenimenque animis. Præsenti Virgine questus
Fundere uterque cauet. Venerabilis oris imago,
Et iuncta grauitate Lepor, permixta rosarum
Lilia purpureum seruant candore ruborem.
Par Superis incessus agit, micat ore sereno

Pal-

Palladis; & Veneris promiſcua forma, nec ipſa
(Ni de more tamen cumulanda eſt gratia functis)
Hermenegilda decora magis, vel compare vultu,
Vel meliore nitet. Simili tum forte micabat
Indutu Virgo, qui ſueuerat ante Britannæ,
Cum tamen illa Patris greſſum retineret in Aula,
Cingere candentes linis candentibus artus.
Hinc formæ ſuperauctus honos. Proſpexit Amaldus
Intrantem, ſubitumque gelu per laſſa cucurrit
Oſſa Viri, & totas hauſit Mors atra medullas.
Circumſtant trepidi, Fraterque, Sororque iacenti,
Et famulos clamore cient, nec tempore longo
Regali permiſſum Animo extra membra vagari.
Ergo redit, lentoque oculorum errore popoſcit
Cloſindam, & viſam demiſſa fronte refugit.
Perſenſit, meritoque libens ignouit Amanti
Virgo, nec obtutu renuit ſpem ferre benigno.
Quin etiam reliquis, tumulus dum grandis ad auras
Erigitur, Iuuenem viſit cum Fratre diebus.
Vnde breui quæſita ſalus, ſtratiſque relictis,
Conceſſum eſt ſolito præcingere pectora ferro.
Iamque aderat biſquina dies, Aſtriſque ſepulchrum
Conſtiterat propius, Tyrio cum fulta feretro
Corpora, & Aſirijs excepta tapetibus amplo
Succeſſere foro, Populis lacrymantibus. Ardent
Innumeræ formenta facis, mixtoque ſuſurro
Flebile Cœlicolis effundunt muſica carmen
Inſtrumenta: Subit nigranti obductus amictu
Clodius, & Regem, Maieſtatemque tueri

Ni-

Nititur à gemitu. Simili velata colore
Turba Dynaſtarum lacrymis teſtatur obortis
Haud mentita fidem. Tectis Clothilda ſub altis
In famulas collapſa manus iacet; omnis ab omni
Aggemit Vrbs latebra, planctuſque imitatur heriles.
Interea, triplicis ſpectacula cędis, amica
Funereos recipit Dionyſius æde tumultus.
Surrexere pares ſtructis in molibus artus
Virginis, & Puerum, mæſtumque iniere Theatrum.
Tum fletus crebuere noui, Regemque parumper
Expulit edomitus forti de pectore Princeps.
Saluete ò dulces Animæ, quas abſtulit, infit,
Clodius ipſe ſibi, feſtinatumque ſepulchrum
Inuidiæ ſeruate meæ. Me dura priuſquàm
Vos ſequar, heu me vita manet. Tibi fida perennem
Hermenegilda fidem, & nulli violanda reſeruo
Connubia, Aſtra dabunt quæ Terra inimica negauit.
Funeſtam interea, donec Deus eximat auras,
Semper honore diem, lacrymiſque hæc buſta reuiſam.
Sic ait, & ſacris rapuit veſtigia tectis.
Quodque ſuper lucis, potioraque tempora noctis
Vicinæ libuit luſtrandis tradere Caſtris.

CLODIADOS
LIBER DVODECIMVS.

ARGVMENTVM:

PRocedit ad expugnandam Vrbem Sueſſionum Clodius, ſed prius diuiſo exercitu abit in Burgundiam Patris necem ulturus, & Dagobertum ad obſidendam Vrbem mittit. Sygibaldus, qui Childeberti ſectium caput haſtæ præfixerat, audito Clodij aduentu ſe veneno conficit, cuius reciſum caput Regi exhibent optimates. Hinc Rex Dagoberto copias iungit, & obſidet Sueſſionum. Dum capitur Vrbs, Tiſyphone, ſumpta Myreni facie, Cloſindæ Clotharij Coniugi Virum per Clodij manus obijſſe defert. Se fundit in agros ultionis auida, & fruſtra telis Clodium adoritur. Hinc abit in nemus. Clodius à Ruteni pugna expeditus ipſam ſequitur, ſed iam telo incubuiſſe reperit. Miſeratur, & iubet famulis ut in Caſtra comportent. Interea Fama, Authore Sygiſmundo, Clodium Reginæ interfectorem Clotharío denunciat. Furore is capitur, & in Nepotem exit. Hiſuiſis, Gallia, & Lutetia Pronæam de malorum fine precantur, & futuri ſpe ſolaminis dimittuntur.

Conatur Tyſiphone Clodij, & Clotharij monomachiam diuertere, ſed incaſſum, nam ſecundus ſternitur. Ingreſſuro Vrbem triumphanti Clodio Clodomirus occurrit, ambobus Clotharij Natis comitatus, qui veniam obtinent. Clotharío, & Radigundæ peragi regale funus Clodius imperat; Clothildam ocyus acciri iubet, ſororem Amaldo Scotiæ Principi, Statildamque Numitori iungit. Conuertitur Vates ad Chriſtianiſſimum LVDOVICVM MAGNVM, ad cuius gloriam DEIPARÆ VIRGINIS fauore Carmen Heroicum expeditur.

IAmque repercuſſo, clypeique, & ſpicula Phębo
Emiſſum dixere diem, fremituſq; cohortum
Exturbat vario nocturna ſilentia motu.
Confeſtim celeri legiones arte coire
Imperat, & longum ingreditur comitantibus armis
Matutinus iter Princeps. De culmine Matres
Murorum attonitæ, quin ipſa è Turre ſuprema
Miratur Clothilda Ducem, neſcitque madentes

Ob-

Obtutu ſatiare acies, Compenſat ademptos
Agmina frænantis Virtus formoſa, Nepotes.
Iſque ubi multiplices tranſmiſit in æquora Gentes,
Ocyus in geminas iuſto iubet ordine turmas
Diuidi, & exponit diuerſa in prælia ituras.
Scilicet armatis Burgundia prima maniplis
Meta datur, luitura Patris lacrymabile, Fatum.
Vltio Aquitanas poſcit properata Cateruas,
Pariſiaſque manus, quas Clodius ipſe tueri
Maluit, atque hoſtem præſens punire paternum.
Inde Comes lequitur, Numitorque, & Amaldus, uterque
Optima pars belli, vireſque auctura potentes
Conſilio, fortique manu. Dagobertus in hoſtis
Iuſſus abit penetrare ſinus; Patruoſque ſupremo,
Intulerint quocumque gradus, terrere Gradiuo.
Parcere ſed populis, tantumque obſtantia votis
Deuaſtare manu laudat, nec amare ruinis
Gallorum miſeris proprios cumulare triumphos.
Reges cinge truces, hoſtem tibi delige ſolum,
Quò latitant eam membra, locum. Suſpende petentes,
Sed tamen arma manus, nec te committere pugnæ
Me ſine ſuſtineas, niſi forte coactus, iniquæ.
Eſt opus ut noſtro vigeat quoque dextera campo
Certamen regale merens. Sic inquit, & omnes
Ire dedit Gentes. Stetit alto adopertus amictu,
Puluereaque in nube Polus; nec lumina retrò
Ferre, vel obliquos ad mœnia dulcia vultus,
Queis natale ſolum dedit ipſa Lutetia, iuuit
Declinare; pares ardent cum Principe curæ,

Infantumque artus deuotis mentibus hærent
Exanimes, luciſque vices, & ſomnia turbant.
At fugiunt celeres, nulloque vetante, recedunt
Ambo in tuta Duces, & quamuis clade recenti
Edomitos releuare caput, Sortiſque fauorem
Expectare iuuat; tàm dira ſuperbia torquet!
Non ſecus infeſti dum ſibila colla colubri
Vulnere multiplici ſuper herbida iugera Paſtor
Eliſit, caudamque procul dedit ire trementem.
Ille tamen rabido ceruicem gliſcere viru
Cogit, & horrendo funeſtat gutture Cœlum,
Obliquatque ſinus, & in ipſa morte minatur.
Sic ſua Clotharius reficit molimina, nondum
Fortunam damnare ſuam perdoctus. Amicos
Inuocat auxilio, iurataque fœdera Cœlo,
Vel Diti ſeruire iubet. Tum proxima raptim
Vndique Legati circum confinia miſsi,
Arma Viroſque petunt. Burgundis Clodius infert
Vexilla interea, paſsimque iacentia vaſtat
Oppida, nec tali ſaturantur cęde dolores.
Auditis Sygibalde tubis, viſiſque repente
Signiferis iuſto iam fata pauore mereris,
Incertuſque tui, ſed pœnę certus acerbæ
Præcipis vltrices ſanè tibi blandior iras.
Et quas nulla ſatis laniena, & nulla pararent
Inſtrumenta obitus redimis per pocula pœnas.
Proh quantum laudis generoſo præripis hoſti,
Dum reſecare vetas gladio fera colla paterno!
Vt functum videre Patres, ſeſeque ſolutos

Iam

Iam maiore metu quàm Gallicus intulit hoſtis,
Squallentes ſumpſere Togas, mæſtoque ſuſurro
Occurrere Duci, ſectumque repente Tyranni
Victori exhibuere caput nil tale petenti.
Nam quid in exanimes buſti deſæuiat Heros
Ingens relliquias? Nec conditionibus ullis
Confudere preces, Pietas namque unica Regis
Conditio eſt, lacrymæque magis quàm dicta precantur.
Aſt ubi humi fuſos latè, ſparſoſque verendam
Puluere canitiem, & Cœlo pauida ora negantes
Inſpexit, moris media haud oblitus in ira eſt
Nobilis, Ignouit facili iam corde ſubactis,
Finibus & Belgis victricia ſigna reduxit.
Peruolitant turmæ, vincuntque, abiguntque, ruuntque,
Nec claudo pœnam ire gradu iam dicere faſeſt.
Talis in has etiam, iunctaſque ad crimina Gentes
Sæpe priùs meritas infers LVDOVICE ruinas.
Vixque videri acies, Phœbo redeunte, dediſti,
Et iam Victor ades, iam te redimere tuemur
Debellatrici rutilantia tempora lauro.
Non procul à trepidis ſteterant properantia muris
Agmina, tergemina tantùm diſtantia leuca.
Nuntius hortanti perituro ardore Cohortes
Clothario, atque prius Dagobertum in bella vocanti,
Quàm coeat properis duplex exercitus armis,
Aduentare grauem ſpolijs, & mille trophœis
Burgunda reducem fert à regione Nepotem.
Quin fortes inferre manus, nulloque grauatas
Vulnere bellorum. Senſit fugiſſe Barathrum

Tum primùm, cauſamque ſuam iam pectorẽ damnat.
Diſsimulare tamen, ſtatuitque recondere ſummas
Mentis relliquias. Scelus eſt potuiſſe timere,
Dixit, at incerto non vires fidere Campo,
Auxilijs hoſti coeuntibus, audet, & omne
Colligit armorum trepida inter mœnia robur.
Clodius interea lata ſtatione coronat
Attonitos muros, & cunctas explicat alas.
Non tamen extemplò præfigere tempora pugnæ
Cogitat, obſeſsiſque diem permittit habendum.
Artus dum refouet longo ſudore ſolutos
Miles, iuſſa ſemel quo fortior arma reſumat.
Quæ tibi Clothari, quem pectora conſcia terrent
Illa nocte quies? prohibes peritura cubili
Corpora, & inſtantes circum caua tempora Parcas
Proſpicis, & Furiæ, & ſiquæ peiora Barathro
Emerſere, premunt, animumque horroribus implent.
Diſcurrit mæſti per propugnacula muri,
Atque ciet Vigiles, Tu prima tuebere Miles,
Tu ferrum, flammamque feres, vos tela, ſudeſque
Tollite, & audaces arcete à culmine niſus,
Natorum memores, euerſorumque Penatum,
Si mala fata premant. Me certe inimica ſedentem
In tuto Fortuna videt, nec ſperat habere
In caput hoc iuris, MORS Sorte potentior ipſa eſt.
Interea lætum profundit ab æthere lumen
Orta dies, Titanque Polum temerare tenebris
Cęde Thyeſtæa ſolitus, fulgentior exit,
Viſurus meritas in dira piacula pœnas.

Iam-

Iamque oricalchorum mandata horrenda ſonantum
Indixere diem populis bellacibus aptum.
Tum data libertas procurſibus, undique muris
Se peditum iunxere acies, cuneique procaces
Inſtantem telorum imbrem teſtudine vincunt.
Hic fixum munimen amat diuellere, at illi
Maxima cura fores, multùm firmantia ahenas
Deturbare loco, poſteſque impellere in ipſos
Saxa, faces alij ſublimibus addere pinnis,
Et ſperare aditum ſuper eruta, quiſque patentem.
At circum obſeſsis labor unus ab Arcibus altis
Deijcere hærentes celeri vertigine ſcalas.
Semiuſtæque ſudes, totiſque refuſa feneſtris
Telorum glans multa ruit, nondum arma dolores
Euulgant, delectat adhuc frons aſpera Mortis.
Gentibus at fuſis mox increbreſcere Terror,
Hoſtileſque alto nequeunt de vertice cędes,
Nec ſpectare ſuas, quæruntque abſcondita Matres.
Vnica ab extrema proſpectas Arce ruinas
Fuluia, Læandri nec lumina flectis ab ore.
Scilicet ille diu famulis permixtus Ephebis
Clotharij mandata tulit, ſed iniqua parari
Vt patrio videt arma Solo, (namque edita luci
Pariſijs, altoque fluit de ſanguine Virtus)
Flebile ſeruitium, infortunatoſque labores
Deſeruit, caramque redit non lætus in Vrbem.
VSQVE adeo & grandes animas, Cœloque propinquas
Vrit Amor. Medijs hæres infixa medullis
Fuluia, ſolatur, mulcetque reciprocus ignis.

— Tasso I 56,57
XX 93 sff.

Te

Te quoque de medijs oculo notat ille cateruis,
Ingentiſque tibi, ſpecimenque, fidemque laborat
Promere Virtutis. Nec tela ſonantia librat
In tibi vicinas turbas, licuitque per illum
Tutis eſſe tuis, micat agmina vertice ſupra.
Ah quoties telis per aperta volantibus, inquit,
Heu mutate locum, nocuos diuertite curſus.
Illa ſagitta vagos circumſtetit impia vultus,
Forſan & illa ferit, forſan quoque vulnera fortis
Diſsimulat, vincique pudet. Sed parcite tantę
Virtuti, Superi, vos proxima fata tenete.
His votis paulum Libitinæ ſuſtinet iras,
Atque horam vitæ lacrymis lucratur amatæ.
Denique mole ſudem direxit in ora Licanor
Fulgida, & expulſam nondum confeſſa Iuuentam.
Tum Mors conceſſum ſibi corripit improba tempus,
Et miſerum reuocat munus. Per nobile arundo
Pectus ijt, Glaucique manus teterrima fudit,
Qui vetitos olim ſibi dedignatur Amores.
Ille oculos moriens ad culmina ſumma leuauit,
Cernere nec vulnus, nec ſe ſatiare ſupremo
Sole cupit, vultu nimiùm contentus amato.
Perfurit illa, ſuo ceu perfidus hæſerit ictus
Ante ſinu, turpemque volat furialis in hoſtem,
Enſe ſimul rapto, nec opino vulnere ſternit.
Quin fatis gauiſa ſuis de vertice præceps
Irruit, atque premit dilectum corpore corpus.
Tum concuſſa graui ſederunt membra ruina,
Et proſtrata Viri ferierunt arma iacentem.

At dulci contenta lucro, Cęleſte renidet
Ore, nec expirans Patriam reminiſcitur Vrbem.
Felices ambo, ſociaque in morte beati,
Si ſupereſſe meum meruit de funere Carmen,
Vobiſcum ſupereſſe cupit, pariterque beari.
Tempora ſed longi compenſat vindice dextra
Erroris Numitor; quis acerbæ funera lucis,
Quis miſeranda Ducum, numeroſaque fata reuoluat?
Æſtuat ille ferox, Ferdinandique ſuperbum
Eripit è ceruice caput, parilique Quiricum,
Qui propior nece continuat. Surrexerat altus
In gladium Hermetes, Ductoris honore perempti
Extolli cupidus, medium ſecat ille lacertum,
Sicut erat, vaniſque ſolo manus excidit auſis.
Sancius hoc pariter, pariterque Rumilius enſe
Hoc perit enſe Lycus. Tunc Aſtora iungit Oronti,
Ægidium Placido, Berlingariumque Rodulpho.
Pellitur Ambronicus toto æquore, pellitur audax
Leucus, & Heluticæ rabies pauefata cateruæ.
At parte exalia compeſcit Amaldus ouantes
Fortis Atrebates; Ductorem fundit Achillem,
Clarum non æqua nomen Virtute ferentem.
Hinc Albericum, Rampertumque, Hannibalemque
Cęſareas fręnantem acies, & Amulius Vrbæ
Ductor, ſtare gradu ſęuum iam neſcit in hoſtem.
Nulla dies populis cędem exhibitura futuris,
Quam triplices fecere manus, nam Clodius ardet,
Et litat innumeras ereptis Fratribus Vmbras.
Millibus interea pereuntibus edit acerbas

Gra-

Gradiuus de more vices. Cadit ille, cadenſque
Hoſtem mole graui premit inſcius, alter amici
Funera conqueſtus gemitus ad propria nullos
Rettulit. Ignoto pereuntem è vulnere Fratrem
Non tulit Acriſius ſine ſe procumbere, & hoſtis
Expectare manum puduit, tum ſubdidit enſi
Pectora fida pio, Fratrique propinquus obiuit.
Dum multo ingentes æquantur ſanguine foſſæ,
Ingemuit ſolitis ſcelerata furoribus edi
Bella Sygiſmundus, rurſuſque pauentibus Aſtris
Redditus, aduerſis inimicat partibus Orcum,
Tyſiphonemque trahit ſecum, quæ dira reuoluat
Exitijs monumenta nouis; tum grandibus altum
Obtegit inſidijs crimen, faciemque Myreni
Imponit Furiæ, Radigundæ ea dicta pauenti
Confeſtim referenda iubens, Tibi languidus aruis
Rex iacet in medijs, altaque in ſtrage Maritus
(Clodius ipſe truci Patruum mucrone ſubegit)
Tu ſecura fedes? tamen & ſecurior ille,
Qui Mundum euaſit, ſaltemque in morte quieſcit.
Tuque Pariſiacis nuribus, luſuſque puellis
Turpibus obijcies collum regale catenis,
Infandumque ſacra decorabis fronte triumphum:
Audijt, & muris breuior qua lapſus in amplos
Exilijt furialis agros (ſpectare Maritum
Eumenis oppoſito prohibebat lampados igne.)
Ergo rapit pharetram, gladiumque, & mixta cateruis
Ingentem quærit, ceu pugnam initura, Nepotem.
Inuenit tandem, imbellique aggreſſa furore

Ter

Ter quater immenſos arcum laxauit in Orbes,
Et rutili vmbonem clypei, nec enim auſa feroci
Cominus ire manu. Subriſit fortis inermes
Rex iras, nec ſe miſeram ſecernere finxit
Innumeros inter populos; Vt denique ſperni
Se videt, ac fruſtra moliri fata Nepotis,
Hinc abit, ac liquidas irrumpit curſibus auras,
Quà nemus vmbriferum numeroſo vertice ſurgit.
Iret & ipſe ſequens, niſi, concurrente Ruteno,
(Nam poſt regales paucis ea gloria dextris
Roboris) in ſæua Mauors retineret arena.
Nec citius tenet illa gradus, quam lata patentis
Ora ſpecus ſubeat, quæſitæ accommoda paci.
Laudauit Fatum, miſeram quod vallibus imis
Intulit, ac tacitas veſtigia duxit ad vmbras.
Illacrymans procumbit humi, pharetramque ſonantem
Proijcit, & capuli iam pondus inutile puri.
Arma pudenda, inquit, quæ coniugialia ſicco
Prælia deſeritis mucrone, exolvite pænas,
Indecori marcete ſpecu, dum maxima ſemper
Coniugis exigua eſt per vos iniuria rapti.
Sic ait, & cubito pulchra ceruice recumbens
Infirmum commendat onus, dum mortis amorem
Colligit in fragiles animos, diſcitque ferire.
At poſtquam infelix lethi tentata voluptas,
Nunquam erit, vt tantis, ait, vndique conſita bellis
Saltem aliqua ex vobis delibent tela cruorem.
Indomiti ſiquidem ſint pectora dura Nepotis,
Iam demùm infirmos hic exercete furores.

Figite me, ſi qua eſt rabies, de pectore nudo
Gloria iam facilis, facilis victoria reſtat.
Iam placet infandæ pænam dimittere culpæ,
Dum mìhi acuta ſitis. Tuque, ò fortiſsime Coniux;
Si non barbaricos auſus prius vlta Nepotis
Te ſequor, ignoſcas, ſexus miſerere minoris,
Et niſi me vltricem, me ſuſcipe mitis Amantem.
Dixerat, & dextra iaculum moritura legebat,
Quod rueret magis, ac in vulnera fortius iret.
Iamque aderat victi Princeps de cæde Ruteni,
Et cum ſupremas exceperit aure querelas,
Speluncam feſtinus adit. Vix limine primo
Inſtitit, & Patruam (miſerandum funus!) acuto
Innexam telo, gemino de fonte fluentum
Eiectare videt, ſed enim præcordia ferrum
Hauſerat, albentem qua per caua pectora curſum
Mammarum fecere niues. Pius aggemit illi,
Adſiſtitque Nepos. Et quæ te Sydera cogunt,
Tunc ait, infelix, alienas ſoluere pænas?
O certè thalamis melioribus apta, pioque
Longe digna Viro! Sed vbi iam funere merſam
Nouit, ad arma redit, famulos regale Cadauer
Confeſtim deferre iubens in caſtra. Verendum
Nondum illi imperium, ſuſcepto corpore obibant,
Atque Sygìſmundo, iam Fama, authore, ferebat,
Reginam magni ferro cecidiſſe Nepotis,
Clotharium feſtina petens, Furit ille, domique
Imperat vxorem penetrale per omne requiri.
Nuſquam illa, aſt oculis miſeranda occurrit imago,

Quam

Quam ſimul adductis collegerat ocyus auris ;
Et dederat ſimiles Radigundæ in fronte colores
Mentita , Mundi truculenta miniſtra ſilentis.
Tum ſic viſa loqui , Quæſiti præmia Regni,
Iam Coniux crudelis habe. Perit hactenus Vxor
Infandis inſumpta odijs , geminique Nepotes.
Tu tamen in clauſo meditaris vilia ſepto,
Et potes indignæ ſperare precaria vitæ
Munera? Non adeo humanis regionibus abſunt
Cælicolæ , quin te noſtris adiungere Fatis
Obliuiſcantur Comitem . Sic fatà repentè
Lymphatum , geminaſque manus ad colla parantem
Deſerit , & patitur rareſcere corpus in auras .
Ad mala prona fides . Ea protinus implet euntem
Toto Erebo , portis bipatentibus exit , & vni
Infert bella Duci , ſolumque per agmina quærit .
Vt ſenſit dubij properare ingentia Martis
Tempora , & occurſus depoſcere fata verendos ,
Sedibus intremuit concuſſa Lutetia ab imis ,
Et neglecta gemens veſtigia ad Aſtra reduxit .
Regales reſoluta comas , non caſside fulgens
Igniuoma , non ære nitens , non turgida plumis
Purpureis ; nulla quatit arma micantia bulla ,
Sed fuſas ſquallore genas ; tamen vndique vultus
Maieſtas afflicta ambit , ſeruatque decorem
In luctu , pulchrumque locus laudare dolorem .
Vertice pinna fluit , lacerum thoraca cadenti
Mole gerit , clypeumque ad plurima ſpicula fractum .
Cælicolumq; hominumque Ducem fera Virgo Pronæam

Æſtuat affari, propiùs iam Cælica tangit
Tecta, & diuinam late circumſpicit Aulam;
Tum dios ruit ante pedes, lacrymanſque profatur.
Alma Parens, noſtri Diadematis hactenus ingens
Seruatrix, quænam ſuccendere protinus iras
Crimina diuinas potuere? audiſne gementem,
Immeritaſue preces, lamentaque noſtra repellis?
Illa Ego centenis circumvallata trophæis,
Vrbs geminis metuenda Polis, Regum ipſa meorum
Oppoſitas ſpectare manus, cædeſque tremiſco.
Cerne per infamem Campum, cuneoſque frementem
Clotharium miſeram Iuvenis depoſcere pugnam.
Nec minus ille pari certaminis ardet Amore.
Ipſe quidem fortis, iuſtaſque in prælia cauſas
Fert ſecum, at noſtris quoties ſors inuida geſtis
Virtutem, iuſtumque grauat. Pudet inde timere,
Inde metus hortatur Amor, prohibetque quietem.
Haud vexilla peto, bellatriceſque cateruas
Semotis inferre plagis, nec habere triumphos,
Nec populaturas hoſtilia mænia turmas.
Hæc olim, Regina, dabas, cum læta putarem
Conſpiraſſe meis certiſsima ſydera votis.
Sed liceat ſeruare meos, priſcique decoris
Relliquias retinere mihi, liceatque dolenti
Indecorem vitam pulſis producere bellis.
Vos teſtor cineres dulces, puerique perempti,
Illuſtres Vmbræ, generoſaqùe buſta meorum,
Nequicquam pulchrum per vulnera ſæua cruorem
Fudiſtis, pia progenies, fruſtraque dediſtis

Sacras

Sacras exuvias, inhumataque corpora Campo,
Si Patruo hæc demum ceſſere in dona Tyranno.
Plura loqueretur, primis Orientis ab oris
Bellatrix niſi magna gradu properante vetaret,
Impleretque Polos vlulatibus exagitatos.
Belligeram ſtupuere omnes; venit illa ſonanti
Armorum ſub mole grauis, ſed fulgida fædat
Æra cruor, tergoque fluit, vaſtiſque lacertis.
Tum reuoluta ſolo, pedibuſque affuſa verendis
Exclamat lugubre gemens; Quid fata retardas
Iam miſeræ vicina Parens? da currere greſſu
Præcipiti excidium, Gallaſque implere ruinas.
Non de clade queror, ſupremaque fata meorum
Luminibus ſpectare meis, ſed cladis iniquum
Da precor ò mutare genus. Furat æquore Nereus
Legibus abruptis, gremiumque incumbat in iſtud.
Me primam premat vnda furens, ſertumque ſolutum
Immiſsis diſpergat aquis. Vel, Maxima, ſaltem
Tu prius ardenti detrude in Tartara dextra,
Seu convulſa caua quacumque voragine Tellus
Indeploratum demittat ad infera Regnum.
Omnia cara mihi, tantum ne perfida cogar
Per rabidas cecidiſſe manus. Nondumne ſuperbis
Obſeſſam vallis, Bellatorumque maniplis
Protritam ſpectas? an deformata ruinis
Gallia priſca iacet, nec iam niſi nomina ſeruat?
En tibi Clotharius frendens, ſummoſque minatur
Sollicitæ caſus, obtruncatoque Nepote
Impius elapſis ignoſcere cogitat annis.

Quar-

Quot validæ cecidere Arces, flammaque rapaci
Procubuere nefas, educta Palatia Cælo?
Sum felix in morte tamen, quod fata rebellem
Esse negant postrema tibi Regina, fidemque
Præposuisse meæ cognoscent Regna saluti.
Vel tibi, vel nulli viuendum. Hæc verba sequuntur
Ingentes lacrymarum amnes, vocemque coercent,
Dum tacitos oculos facundia pulchra decorat.
Stant circum trepidi, repetuntque hæc ipsa verentes
Pax, & Clodoueus, sumptis satiataque pœnis
Annuit ipsa Themis, Pacisque in gaudia gestit.
Tum Genitrix, Iustum poscunt sibi prælia finem,
Et mala pugnaces dudum vexantia Gentes.
Neu geminas prohibere manus; Regemque cruentum
Funeribus tentate suis abducere; Gallis
Vna salus miseris rabidi sunt fata Tyranni.
Ne trepidate, cadet; victumque acerrimus Heros
Proteret, inuitus quamuis. Minus inde nocenti
Ignoscet Patruo, sociumque in Regna vocabit.
Hæc modo, sed longi quondam voluentibus æui
Cùrsibus, insignes Genti tribuemus honores.
Tempus erit, LVDOVICE, tibi cum sæcula pandes,
Impellesque graui tot perfida mœnia dextra.
Tum fines positure solo, positure profundo
Pellæis vnus narraberis Æmulus actis.
Tunc Indus, Meduſque iugum patietur amicum,
Et tremet edomitus triplici sub Germine Mundus.
Dixerat. Assensere omnes. Cætu ergo per auras,
Innumero subeunte, volat lætata benigno

Nu-

Numine, & in Campos caligine fertur hiantes
Gallia, ſubſequiturque Ducem. Perſenſerat atram
Voluere Fata diem, nec opem de fraude venire
Tyſiphone, & rabido ſola perculit ima colubro.
Quis pudor in reditu, cum me de luce recentem
Impius excibit Regnator, & acta iubebit
Incaſſum perferre Stygi? Dum talia voluit,
Cernit anhelantem facinus, plenumque Barathro
Clotharium, fruſtra toto perquirere Campo,
(Namque trucem ad pugnã ſtat cominus ire) Nepotem.
Iſte quidem pronus, nam damna repellere damnis
Scit non eſſe nefas, tamen irritus æſtuat omni
Æquore, & oppoſitis prohibetur pugna maniplis.
Eumenis hoc denſat perituro ardore furentes.
Quin etiam notos rutilantis caſsidis ignes,
Inceſſuſque imitatur Equi, pectuſque, humeroſque
Clodij, & excelſo minitantes vertice criſtas.
Solum degeneres animos, ignotaque Regi
Terga fugæ ſumit, Patruique ante ora furentis
Siſtitur. Infrendet, laxiſque infuſus habenis
Hic Iuuenem inſequitur per iugera longa fugacem,
Qui nemus ingreſſus ſeſe rapit improbus auræ,
Fruſtraturque Virum. Furit ille, & plurima iactat,
Perfide non fugies, non ſi te protinus Alpes
Oppoſitæ ſeruent, aut ferreus ambiat agger.
Si ſemel è nemoris tuto licet ire periclis,
Non tamen è noſtris tutò licet ire lacertis.
Talia veſano ſimilis fundebat, & omnem
Luſtrabat ſine mente locum, dum funera ſpargit

Mil-

Mille per hoſtilem meliori ſydere Campum
Clodius, & iuſtas conſumit verius iras.
Diverſis ſeruare latus ſub mænibus Vrbis
Munus erat Clodomiri, ſed ſpicula fruſtra
Fundit, & errantes componere voce Cohortes
Tentat. Supremus circumtonat omnia Terror;
Quaque ruit rapido diſpellens agmina curſu,
Vaſtum limitem agit ſibi Clodius. Æquore miſcent
Sic & in Adriaco variantia prælia venti,
Et modo flaminibus ſibi nubila corripit Auſter,
Et nunc Eurus ouans, nunc poſsidet Æthera Caurus.
Aſt vbi ab implacidis Boreas caput exerit antris,
Atque modum tumidæ fert ſeditionibus vndæ,
Conceſſerè omnes, Cælumque dedere Tyranno:
Ille rapit ſecum puppes, fluctuſque, ſalumque,
Syderaque, & domitos rabido trahit impete Fratres.
Nec ſuper vllus erat pugnantibus ordo, ſed vnus
Enſe micans populos turbabat Clodius omnes.
Viderat aduerſæ veſtigia figere Syluæ
Clotharium Silicus, nec adhuc in bella receptum.
Dum gemit ergo diù nimium, nimiumque morari,
Conſtituit ſecum Regem reuocare vagantem.
At nondum caſtris exceſſerat, ecce abeunti
Improuiſus adeſt, humeros & percutit Heros.
Vaſtum vulnus hiat, ſed non tamen orſa retardat,
Quippe volat ſublimis Equo, fundenſque cruorem
Spontè ſuum attoniti conſiſtit in ore Tyranni
Viribus exhauſtis, nec iam deſcendere viſus,
Namque cadit, dictiſque Animam ſic mitti euntem.

Quid

Quid miſer inſanas nequicquam percutis auras,
Dum tua ſceptra labant? I nunc, & tela Nepotis,
Si fas eſt, magni, facileſque arceſſe triumphos.
Vix ait,& vaſto de vulnere vita receſsit.
Tumprimum miſero facilè data copia Regi
Laruarum ſenſiſſe dolos, altique ſoporis
Excuſſa ceu nube, grauis ſic ora reſoluit.
Iam ſatis,ò ſtygij, queis debeor hoſtia, Manes,
Nempè quid ad Superos, inimicaque Numina flectar?
Iam ſatis admiſſum eſt. Quid inania nectere rurſus
Tentamenta iuvat, vanæque incumbere fraudi?
Ibimus, at ſaltem liceat coniungere lethum,
Nec niſi poſt domitum deſcendere ad ima Nepotem.
Talia concipiens in prætermiſſa redibat
Prælia, vociferanſque. In me turpiſsime Regum
Reſpice, nec famulo compeſcas ſanguine ferrum.
Is Patruo occurrens, Tandem deſcendimus æqui,
Et ſine fraude pares, inquit, quæſita tot annis
Colla, tot inſidijs, facilis tibi denique pando.
Iam quod non licuit rabido patraſſe Ramyro,
Non Clodomiro, meliori perfice dextra.
Perficiam, ille refert, rabies obſtruxerat ora,
Cæteraque horrendo riguerunt verba palato.
Quàm ſatiùs Fortuna fuit collidere tales
Ante manus, tantas Populorum auertere clades!
Debueras celerare dies, vnique duello
Demùm ſanguineas Mundi committere lites.
Abſilit inſolito attonitum certamine vulgus,
Atque ſuum ingenti Dominum ſtatione coronat.

Tum ſimul innumeræ tenuere ſilentia Gentes,
Et ſimul Æolij preſſerunt murmura flatus,
Et mutare fidem timuere Elementa perennem.
Theſſalicos parili direxit in Hectora currus
Turbine, Dardanij fatalis machina muri,
Funera magnanimus Patrocli vlturus Achilles,
Vt volat in Patruum Princeps; Concuſſa tremiſcit
Terra, neciratum patitur ſecura Pyroum.
Ocyus arrepta concurrunt arbore, & auras
Oppoſitas lacerant, rutilis vmbonibus hæſit
Vtraque, & illæſos parmarum fruſta dederunt.
Enſibus inde labor, diuerſo permeat æquor
Procurſu Patruus, diuerſaque vulnera tentat.
Aſt animo inſidias Heros memorante reuoluit
Syluestres, pelagique fugas, Fratrumque minorum
Funera, & amiſſam tandem gemebundus Amantem.
Talibus incendit ſtimulis cor nobile, & iras
Exacuit, multoque ferit tibi verbere conum
Clothari. Furis ipſe magis, tantumque licere
Ah nimis inuicto, tædetque, pudetque, Nepoti.
Ipſe quidem fortis, nec belli laudibus impar,
Verùm impar Iuveni, quem fata, Deuſque tuetur.
Sic Capitolino Perſarum purpura Templo
Expoſita Imperij ſacrum devicerat oſtrum
Fulgure, ſic Tyriæ Sidonia proxima ceſsit.
Non ſimilem, decies dum palluit Ida pruinis,
Et vanas Phrygibus decies oſtendit ariſtas,
Pugnam vnquam vidit, Simoiſue, aut flumine iuſſus
Sanguineo toties in cærula currere Xanthus.

Is furor ambobus, propriorum vt quiſque laborum
Immemor hinc illinc miles, maioribus aſtet
Attonitus fatis. Sua verbera fundit vterque,
Vulnera ſolus habet, Terramque cruore colorat
Clotharius, ſummuſque foret certaminis ictus,
Quem parat alter, Equus niſi crure inſurgeret amens,
Ferret & immeritam Domini pro crimine pænam.
Erigitur Sonipes, cerebroque abeunte per æquor
Inde ruit, Regemque pari iubet ire ruina.
Et poteras, Clodi, facilem decerpere palmam,
Sed pudet in Patruum ferro ſæuire iacentem.
Inclamas, Iam redde manum, Sortiſque parumper
Diſce vices varias. Non hæc mihi ſæua libido
Regnorum, vt Patruo poſtponere Regna recuſem.
Nec tamen exuvias de te mihi, ſiue triumphum
Exoptem, aut ſolijs te deturbare paternis.
Nil in te iuris, Ductor fortiſsime, poſco.
Ille nihil contra, ſed cominus enſe reducto
Iuit, & ingratus permiſsi temporis vſum
Vertit in auctorem. Senſit furibunda minantis
Princeps corda Viri, citiùs tunc ipſe relinquit,
(Nam pedes ille ſubit,) famulo excipiente, Pyroum.
Quamque fugis Pietatem, inquit, mox perfide quæres
Forſan, & incaſſum. Nec plura, iterumque pedeſtre
Inſtaurat bellum, aduerſiſque foramina membris
Ingeminat, iamiamque graui de poplite pugnam
Ille mouet; Rurſus Pietas miſerata Nepotem
Magnanimum pupugit, rurſuſque ignoſcere geſtit,
At veniam magis ille furens quàm fata veretur.

Tasso XIX 21

Tum durum precibus pectus, ne nobilis ire
Quicquam intentatum Virtus ſinat inclyta geſti,
Conatur terrere minis, iuguloque ſuperſtans
Hoſtili, Aut gladium iubeo te reddere, dixit,
Aut animam. Prius, ille refert, Cæleſtia Numen
Imperia amittet, quam me mea Regna mihi nunc
Diſsimilem cernant. Dum talia fundit acuta
In ſuper inſtantis ſica latus exit, & inter
Arma, artuſque viam vano conamine perdit.
Non tulit hæc Heros, & ſat tibi fraudis, inique,
Permiſſum eſt, geminos ſatis eſt iugulaſſe Nepotes.
Sic ait, & toto, quantùm dedit ira lacerto
Exhauſit meritum fixa è ceruice cruorem.
Horribili pallore genas, oculoſque natantes
Sæuo errore notat, tranſmittit fulgura Caſsis
Per lucis truculenta vias, Vitæque ſuperbæ
Haud impar mors dira fuit. Formidine terret
Hoſteſque, Genteſque ſuas, Vrbemque ſilentem,
Seque magis damnat moriens. Tum denique ſummo
Rugitu trepidos inuaſit turbidus agros,
Vmbraque perpetuas adijt metuenda tenebras.
Tunc adamante grauem gladium, craſſoque cruore
Clodius extollit, miſerumque cadauer ab arvis
Imperat in pavidam transferri protinus Vrbem.
Inceſuque graui, qualis, ſi vita maneret,
Clodoueum deceat, bipatentia limina dudum
Inſtructa legione ſubit. Præcingit Araldus,
Ac Numitor ſublime latus. Num parcere malit,
An muros æquare ſolo, populumque nocentem,

Ha-

Tasso XIX, 26:
Morira Argante e tal
morìa qual visse

Hactenus ambigitur. Spes vna ſalutis ab enſe
Regali dependet adhuc. Sed ab Arcibus altis,
Quæ ſedes fuit alma Ducum (miſerabile viſu)
Occurrit nulla ſtipatus terga corona
Clotharij gemino cum Pignore Clodomirus.
Non rutilas de more gerens in caſside criſtas,
Non armis, gladioue tumens, ſed currit ad imos
Palla nigrans talos, & multo ſyrmate mæſtam
Verrit humum, Regni Diadema inſigne ferebant
Tergemini. Poſtquam propius data copia fandi,
Supplicibus tulit orſa modis, ſed pectore forti,
Nec tamen à priſcis Maiorum diſcrepat actis
Maieſtas inuicta malis. Tum voce precatur
Non humili veniam, ſi me peruerſa iuberent
Sydera degeneri deponere colla ſub hoſte,
Haud me, quæ tandem ſpes Regibus vna ſubactis,
Mors fugeret quæſita manu. Sit prima ſalutis
Cauſa tuis, danda dignum te dicere vita
Regnorum nuper Dominis. Me barbara certè
Geſta queant Fratris, ſimul hos damnare Parentis,
Si pœnas paterere Patrum, Fratrumque ſubire
Innocuos. Iuro ſuper hoc geſtamen honoris,
Quod tibi iure ſubeſt, & per regalia Magni
Numina Clodouei, me tum retinere furentem
Tentaſſe, atque truci Pueros arceſſere ferro.
Auſus at ille mihi (vetuit fuga nempe) cruentam
Intentare necem. Sola hæc mihi criminis ergo
Summa venit, ſocium bello tribuiſſe lacertum.
Id modo plecte Nepos, nec enim iam deprecor auræ

Exilium, fatumue premens. Inſontibus, oro,
Parce libens Pueris. Vnum tibi denique reſtat
Hoc è Clothario, de quo mereare Piorum
Magnanimus laudes; Miſerandi inſignia Regni
Accipito interea, & melioribus vtere fatis,
Si tamen Orbis habet. Dixit, Regnique verendum
Victori exhibuit, Pueris imitantibus, aurum.
Non tulit vlterius Princeps, & ſingula blandis
Pectora ſuſcipiens vlnis has enſe remiſit
Depoſito voces, Vtinam quoque reddere Patrem;
O vtinam Fratrem per Numina ſumma liceret,
Vt dare ſceptra licet. Mihi gratior iſte triumphus,
Clarior iſta dies, Patruo viuente, niteret.
Sed ferus oblatum ter dedignatus Amorem,
Tervitam, perijt, ſeque in ſua funera adegit.
Quod ſupereſt, regnate precor, monitique recenti
Clade Ducis miſeri poſt crimina longa nocentem
Diſcite regalem Superis componere ſtirpem.
At mihi ſi meriti quicquam pro munere reſtat,
Statildam æternis Numitori iungere poſco
Connubijs, tantamque fidem non impare dono
Excipere. His ſiquidem durabile legibus Orbis
Imperium, Iuſtis compeſcere crimina pœnis,
Virtutem & meritis extollere ad Aſtra trophæis.
Annuit ille libens, nec gratibus æqua ferendis
Inuenit orſa ſatis, ſolumque per oſcula crimen
Excuſat, gemituſque ſuum. Tum verſus ad ambos.
Coniugijs quoniam tempus ſubit, infit Amaldus,
Parcite ſublimes, Orbis decora inclyta, Reges

Au-

Auſibus inſolitis. Si Scotica ſceptra tenenti
Fas veſtros optare toros, tu quæſo Sororem,
Tu Neptem Regi pariter concede precanti.
Neue aliena meis obſiſtat perfida votis
Relligio, verum prona ceruice Tonantem,
Cordis & obſequijs iam nunc veneratus adòro.
Scilicet hinc domito poſt damna recentia luctu
Lucis Amor mihi pendet adhuc. Ah Virginis Anglæ
Reddite quod reddi ſinit illacrymabile Fatum.
Reddite quæſo Duces. Erit Hermenegilda ſuperſtes,
Si Childeberti, Soboles quem tanta decorat,
Præponar cunctis felix Gener, hiſque beetur
Scotia connubijs. Dilectum ad nomen euntes
Clodius incaſſum lacrymas ceſſare iubebat,
Cum fortes maduere oculi. Tum Principis arctos
Fuſus in amplexus, Quicquid petis accipe, dixit,
Quodque rogandus eras. Vna celebrabitur Hymen
Luce duplex, referamque mei ſolatia Fati,
Hoſpite gauiſo. Funeſti victima belli
Protinus infelix referatur ad alta cadauer
Atria Clotharij, miſerandæ & coniugis artus.
Id mihi iam ſupereſt, ſi fas maiora daturo)
Regalem accipiant regalia funera pompam.
At vos, ò Comites, quorum quæſita labore,
Paxque, ſaluſque mihi, in partem ſuccedite Regni,
Et meruiſtis enim, verborum maxima vobis
Semper erit, rerumque fides dum vita manebit.
Reginæ interea non lætæ Nuncia Pacis,

Er-

Erminio ducente, cohors abſcedat, & atro
Centum Oratores funeſtent æthera luctu.
Sanguinis inuitæ diſpendia parcere dextræ
Ne renuat proprij, ignoſcat generoſa coacto:
At prius indignis iam demum erepta catenis
Vmberti ſurgant, quem cingere purpura geſtit,
Pectora, conſilijs ſat cognita pectora fidis.
Dixit, & innumero reſonantia claſsica cantu
Victoris ſanxere ſonos, Ætherque, Solumque
Iucundum fremuere. Poli de parte ſerena
Aligerum Pubes Pacem denunciat auris.
Pacem Sylua ſonat Populorum mota canoris
Plauſibus, & Pacem læto Moſa percitus alueo;
Arma ſonant Pacem, Pacem caua mænia reddunt.
Talia perdomito cum Victor ab Orbe redibis,
Vota hominum, LVDOVICE, feres, cũ Sydera vaſtis,
Infernumque Chaos dices confinia Regnis.
Non alijs Gentes vicit legionibus omnes
Auguſtus, docuitque iugum perferre Senatum,
Cum rerum Dominam ſubiecit Gallia Romam.
Clariùs an quiſquam Fidei vexilla per auras
Extulit, & puris Altaria cultibus augens
Indomitam Hæreſim fregit, Stygiumque Tyrannum?
Nec tantùm à propria peſtem ditione repellis
Indefeſſe bonis HEROS, ſed viribus ipſis,
Queis Scytha ceruicem, queis flectit Iberus, & Indus,
Regum externorum tetro diſcrimina viru
Excita compeſcens, Barathrum in ſua clauſtra coerces.

HOC

HOC pugnare Deo eſt, veroſque referre triumphos.
O fauſtum liceat mihi ducere longiùs æuum,
Virtus belligeris cum demùm functa periclis
Tecum in pacifico rutilans dominabitur oſtro.

FINIS.

Errata	*ſic*	*corrige.*
pag. 3	fæcuda	fæcunda
36	ſucceſſo	ſucceſſu
	ferit	ferit, ferit
	vertis	vertit
79	folſum	foſſum
93	diuerſæ	diuersè
90	propriorque	propiorque
97	frementnm	frequentum
98	reppellant,	repellant
103	& carta	& cartam
106	refulxit	refulſit
107	Chilpericique	Clodomirique
	Ad Superos quo	Ad Superos qua
211	noxas, palcherrima	noxas pulcherrime
112	Chilperici	Clodomiri
119	celſit, ait	ceſſit, ait
121	Tu Clodomiri	Tu Childeberti
	etſi dedita	etſi edita
123	Corripedem	Cornipedem
	langentis	languentis
127	numereat	numerat
134	numerius	numerus
	ocyſor	ocyor
	Fauonteſque	Flauenteſque
136	Quiſque iacet	Quiſque iacit
	plauſuſque	plauſuque
140	reccomentem	reuomentem
141	Excipere	Excepere

Errata	*ſic*	*corrige.*
142	turbæ	turbæ
149	lobores	labores
150	abditamentis	abdita mentis
151	meriti	merenti
	manduere	maduere
	ſocciare	ſociare
157	abduco	obduco
160	mintem	mentem
161	Per me cuncta licẽt	Arbitrioque meo
167	cataphroctos	cataphractos
172	erratibus	erroribus
173	dixeſſurus	diſceſſurus
177	Tempus amen	Tempus amem
	denique relinquant	denique linquant
181	interque ſenibes	interque ſeniles
194	illos moderante	illo moderante
214	paridique	parilique
225	virceat	vicerat
244	mentem	mentes
249	teterrinus	teterrimus
252	aſperrimas	aſperrima
254	caſſice	caſſide
278	formenta	fomenta
273	Vox citius	Nox citius
277	ELOS	FLOS
296	mitti	mittit
301	Ille Trrgemini	Tergemini
	à ferro	ferrò

Imprimatur.

Fr. Io: Thomas Rouetta Inquiſ. Gen. S. Off. Venet.

NOI REFORMATORI
dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per Fede del Padre Inquiſitore, nel Libro intitolato, *Clodiados Libri XII. Marci Petronij Co: Caldanæ*, non v'eſſere coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a Girolamo Albricci di poterlo ſtampare, oſſeruando gl'ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padoa, &c.

Dat. li 7. Nouembre 1686.

(*Geronimo Aſcanio Giuſtinian Reformator.*
(*Ferigo Marcello Reformasor.*

Gio: Battiſta Nicoloſi Segret.

1687. 4. *Giugno.*

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degl'Eſecutori contro la Biaſtema.

Carl'Antonio Gradenigo Nod.